An. et vol. XXXXIII 8 - 10 Maii 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 6-7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Decretales, p. 241 - Constitutiones Apostolicae, p. 253 - Litterae Apostolicae, p. 267, 305 - Epistulae, p. 275, 311 - Allocutiones, p. 278.

Acta SS. Congregationum: *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Provisio Ecclesiarum, p. 283 - *S. C. de Propaganda Fide*: I. Decretum, p. 284. II. Provisio Ecclesiarum, p. 285. III. Nominationes, p. 286. IV. Designatio pro appellatione, p. 286. V. Approbatio Constitutionum, p. 286 - *S. C. Rituum*: Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 287.

Acta Tribunalium: S. R. Rota: Sententiae et Decreta a. 1950, p. 315. Citatio edictalis, p. 299.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 300-304.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M·DCCCC·LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 6 – 8 Maii 1951)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

PAG.

Virum dolorum. – Beatae Ioannae de Valois, Galliae Reginae, fundatrici Ordinis Ssmae Annuntiationis B.M.V., Sanctorum honores decernuntur. – 28 Maii 1950 241

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. LAOSIENSIS (Thakhekensis). *Maius sane.* – A Vicariatus Apostolici Laosiensis in Indosina territorio pars seiungitur, quae in novam Praefecturam Apostolicam Thakhekensem nomine erigitur. – 21 Decembris 1950 . 253

II. RIOPRETENSIS. *Deocssor Noster.* – Canonicorum Collegium in Cathedrali Ecclesia Riopretensi erigitur. – 10 Ianuarii 1951 255

III. AFRICA MERIDIONALIS. *Suprema Nobis.* – Hierarchia Episcopalis in Africa Meridionali constituitur. – 11 Ianuarii 1951 257

IV. JARENSIS (Capicensis). *Ex supremi.* – Dioecesis Jarensis territorium bipartitur et nova erigitur Dioecesis Capicensis nomine. – 27 Ianuarii 1951 . 264

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Quemadmodum.* – Sanctus Ioseph, sponsus B. Mariae V., praecipuus Barranquillensis Dioecesis Patronus confirmatur. – 5 Decembris 1949 . . 267

II. *Excultioribus Templis.* – Ecclesia Sancti Materni, in oppido « Walcourt » dioecesis Namurcensis exstans, Basilicae Minoris titulo ac privilegiis cohonestatur. – 13 Maii 1950 . . . 268

III. *Quoniam.* – Venerabilis Dei Famulus Franciscus Antonius Fasani, Sacerdos, ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, Beatus renuntiatur. – 15 Aprilis 1951 270

EPISTULAE

I. *Tibi prima.* – Ad Emum P. D. Eduardum tit. S. Susannae S. R. E. Presb. Card. Mooney, Archiepiscopum Detroitensem, vicesimum quintum Episcopatus annum implentem. – 1 Ianuarii 1951 275

PAG.

II. *Binnen kurzem.* – Ad Emum P. D. Michaëlem tit. S. Anastasiae S. R. E. Presb. Cardinalem de Faulhaber, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, annum quadragesimum ab Episcopatu et tricesimum a suscepta purpura implentem. – 28 Ianuarii 1951 276

ALLOCUTIONES

I. Ad participantes Conventui internationali de « Mouvement universal pour une Confédération mondiale ». – 6 Aprilis 1951 278

II. Ad christifideles qui Romae convenerant ad beatificationem Servi Dei Francisci Antonii Fasani. – 18 Aprilis 1951 280

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Provisio Ecclesiarum 283

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. *Leopoldopolitan.* – Decretum. De mutatione finium Vicariatuum Apostolicorum. – 24 Maii 1950 284

II. Provisio Ecclesiarum 285

III. Nominationes 286

IV. Designatio pro appellatione 286

V. Approbatio Constitutionum 286

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Constantien. et Abrincen.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Placidae Viel, Secundae Superiorissae Generalis Instituti Scholarum Christianarum a Misericordia. – 4 Martii 1951 287

II. *Lugdunen.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Mariae Victoriae Teresiae Couderc, Confundatricis Societatis Dominae Nostrae a Recessu Coenaculi. – 4 Martii 1951 289

III. *Lucerina.* – Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. S. D. Francisci Antonii Fasani, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium. – 27 Martii 1951 291

(sequitur pag. III)

An. et vol. XXXXIII 8 Maii 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATAE IOANNAE DE VALOIS, GALLIAE REGINAE, FUNDATRICI ORDINIS SSMAE ANNUNTIATIONIS B. M. V., SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Virum dolorum et scientem infirmitatem (Is. 53, 3) se Christus Iesus hisce in terris praestare nobis voluit, ut certe primum sua morte perditum hominum genus in possessionem caelestis patriae restitueret, deinde etiam ut proposito exemplo doceret nequaquam posse nos, nisi terrenae vitae toleratis patienter aerumnis, salutem adipisci sempiternam. Qui igitur in hominibus Christum diligere, ut par est, sibi statuit, necesse prorsus est ut asperitates quoque sua sponte quaerat, non modo ut se Viro huic dolorum, quantum potest, assimulet, verum etiam ut cruciatus in se ultro susceptos cum Divini Redemptoris cruciatibus coniungens pro aliorum etiam hominum in Deum iniuriis satisfaciat. Ex quo videlicet consequitur aegritudines magno animo perferre seque ipsum voluntarie castigare insigne esse piorum hominum proprium. Quorum sane in numero procul dubio habenda est Ioanna, Galliae regina, cui hodie sanctorum caelitum honores decrevimus.

Enimvero Novigenti Regii, in Gallia, nata, die vicesima tertia mensis Aprilis, anno quadringentesimo sexagesimo quarto, ex Ludovico XI, Galliae rege, ac Carola e Sabaudiae familia, tormenta ab ipsa fere in-

fantia experta dici potest, quod praesertim pater, ingenio imperiosior, nullum neque erga uxorem neque erga filios studium declararet. Atque a Ioanna magis quam a ceteris liberis alienam voluntatem ideo gerere videbatur, quod infans, sive ob sexum sive ob gracilem corporis naturam, paternas spes fefellisset. Eam propterea, vix mensem unum natam, Duci Aurelianensium, fratri patrueli suo, iam tum despondit.

Vix quinquennis Ioanna nobili cuidam familiae, cui ab oppido Linières appellatio, instituenda concredita fuit, ubi mulierem quandam educatricem nacta fuit, pietate in primis praeditam, cuius ductu Dei amore atque ad virtutem proclivitate, quae veluti a natura ipsa expresserat, vel magis ardere coepit. Praecipue vero Ioannae religio erga Mariam Caeli Reginam ferebatur, quam, utpote quae terrestris genetricis affectu foveri non posset, quasi suavissimam Matrem habebat, omnique pietatis officio filiorum digno colebat.

Interea nihil antiquius habere pater videbatur quam ut matrimonium, quod iam ab incunabulis filiae paraverat, omni ratione pacisceretur. Quamobrem, dolis, pollicitationibus minisque omne genus adhibitis, id molitus est ut Ludovicus dux eiusque mater, quamvis Ioannam scirent esse corpore aliquantulum deformem eandemque propterea fastidirent, praevias coniugii condiciones, quas civilis lex statuebat, die undetricesima mensis Octobris, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, subsignarent, ac, duos post annos, ultimas matrimonii pactiones ratas, etsi aegre, haberent. Nec meliorem sortitae sunt exitum Ioannae tergiversationes. Nam, rege imperiose urgente, die sexta Augusti mensis, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, in sacello arcis, quam Montrichard vocabant, coram Aurelianensium Episcopo, inter Ioannam, duodecim tunc annos natam, et Ludovicum, decimum quartum annum agentem, matrimonium contractum est. Quas post celebratas nuptias, in oppidum Linières Ioannae revertendum fuit, ibique segrex tristisque vita, ut antea, ducenda. Aliter ac spensus, matrimonium, quod praesertim Episcopo praesente celebratum fuit, legitimum ac firmum semper esse putabat. Ideoque, cum esset tam veri retinens ut sui temporis homines eam indubitanter dicerent « veritatem sitire », suum esse duxit suarum nuptiarum asserere efficacitatem. Neque huiusmodi opinionem ex eius animo evellerunt Ludovici convicia, quae Christi Iesu intuens exemplum non modo patientissime nullo non tempore tulit, verum etiam magno animo ignovit; quin potius pro contumeliis perpetuum reddidit amorem.

Mortuo patre Ludovico XI rege, tantum abfuit ut Ioannae infelicitates minuerentur, ut etiam magis excrescere viderentur, opera potissimum sponsi, qui, contra novi regis eiusque sororis voluntatem, nunc aperte nunc dolose consilium sibi esse significabat initum matrimonium dissolvendi. Eoque discidium pervenit ut Ludovicus bis terque in custodiam traderetur. In quibus rerum adiunctis mire eluxit quantum Ioanna caritate christiana flagraret; nam, licet adverso coniugis animo graviter morderetur, nec ei officia in carcere praestare, nec Carolo VIII regi fratri suo supplicare dubitavit, ut illum de vinculis educeret.

Sed vel in peiorem partem res versae ac mutatae sunt cum, Carolo VIII sine virilis sexus liberis morte functo, ad regnum Ludovicus dux Aurelianensis pervenit, nomine Ludovici XII accepto. Etenim novensilis rex quasi in inimicorum numero optimam sponsam ducere pergens, non tantum quo die diadema accepit passus non est sibi adesse Ioannam, sed exinde quoque eam noluit videre coram. Quin etiam, paulo post, causam apud ecclesiasticum Tribunal instituit, ut contractum matrimonium nullum prorsus esse decerneretur.

In qua actione, permolesta quidem ac peracerba, cum sibi Ioanna persuasissimum haberet nuptias suas esse ratas, pro sui religione ac fortitudine animi, in eo comprobando curas omnes posuit. Nihilominus in causa plane concidit; quoniam tribunal declaravit matrimonium nullum nulliusque momenti, obligationis vel efficaciae fuisse. Atque ea quae per causam singularium virtutum, quibus praestabat, clarissima, si unquam alias, specimina ediderat: caritatis videlicet, pudicitiae, prudentiae maturique iudicii, postquam sententia lata fuit, invictissimae etiam patientiae argumenta praebuit, Christi Iesu nempe gratia, cuius sibi dulce erat supremos imitari dolores.

Ludovicus XII rex, novis initis nuptiis, ducatum, cui a Berry appellatio, Ioannae administrandum adscripsit, cuius urbs caput Avaricum erat. Ibi piissima dux, nihil omnino de summa privatae vitae suae perfectione remittens, quae oportere vidisset, in melius corrigere ad christianaeque legis normam reducere aggressa est. Atque in publica re gubernanda iustitiam ac prudentiam nullo non tempore ostendit; sed maxime caritatem, utpote quae semper aliorum hominum miseriis cuiusvis generis vehementer commoveretur, ab ope eis ferenda neque ingratis eorum animis neque naturae fastidio unquam retardata. Quod praecipue eluxit, cum, principem ducatus urbem urente pestilentia, Ioanna, sui neglegens periculi, aegrotos praesens sine ulla dubi-

tatione invisere, benigne eis auxiliari, eorumque ulceribus curationem admovere quasi felicitati sibi duxit.

Ceterum quae in subiectos impendebat officia, eam nequaquam abstrahebant a Deo potissimis, quae ei debentur, officiis colendo. Aulam idcirco suam religiosae domus instar ordinavit, ita scilicet ut non modo in caelestem Patrem nihil impie in ea admitti pateretur, sed potius omnia ad pietatem inibi invitare vellet. Quod autem ad ipsam pertinebat, ardentiorem in dies amorem in animo suo fovebat erga Sponsum suum Cruci affixum ergaque Deiparam Mariam: cum divinis mysteriis in sacra aede dando operam, tum in remotioribus sui viridarii angulis quam diutissime poterat preces fundendo ac res meditando supernas.

Ex hisce suis cum Deo collocutionibus Ioanna lumen etiam opemque repetiit ad opus in rem deducendum, quod illi valde cordi erat: ad condendum scilicet honori Mariae Virginis Sodalicium.

Qua in re opera consilioque usa est Gabrielis Mariae, Franciscalis Ordinis Sodalis, eius pietatis magistri. Qui, postquam Sodalitatis normae ad divinum quodammodo nutum scriptae fuerunt, Romam contendit, veniam constituendi Sodalicii a Summo Pontifice imploraturus. Ubi nonnullis evictis difficultatibus, quod optabat tamen consecutus est; nam die decima secunda mensis Februarii, anno millesimo quingentesimo primo, Alexander VI, Decessor Noster, Litteras sub plumbo dedit, quibus *Ordo decem virtutum Mariae,* — qui alias a Beata Virgine Maria, alias a Virgine ab Angelo salutata postea appellatus fuit — canonice conditus fuit. Quem equidem Ordinem Ludovicus XII ratum in suo regno habuit.

Sodalitate igitur legitime probata, Ioannae curae fuit, ad aulam suam, monasterium exstruere, quod die vicesima prima mensis Novembris anno millesimo quingentesimo quarto, in festo Mariae Virginis ad templum deductae, sollemni ritu dedicatum fuit. In illud primas alumnas recepit, quas ipsa, adhibito in consilium Gabriele Maria, prudentissime rexit, omnibusque rebus ad vitam necessariis opportune instruxit. Cumque tempus omne, quod a ducatu gubernando supererat, virginibus illis instituendis tribueret, earum animos flagrantissimo amore imbuit sive in acerbissimos Iesu Christi cruciatus, sive in augustissimum Eucharistiae Sacramentum, sive denique in Deiparam Mariam, quam Communitati simul Matrem simul virtutum omnium exemplum proposuerat. Eandemque Christi Matrem Ioanna haberi volebat pro unica monasterii moderatrice, cum ea quae palam domui regendae praeesset, nonnisi « Ancillae » nomine esset nuncupanda, memoriae sane causa salutationis ab Archangelo Gabriele Virgini Mariae factae.

Enimvero in angelicae illius salutationis misterium, cuius imagines passim in monasterio proponebantur, tanta pietate Ioanna ferebatur — quippe in quo veluti germina virtutum omnium Dei Genetricis agnosceret — ut conditus ab ea Ordo « ab Annuntiatione Mariae Virginis » nomen denique inveniret, atque moniales in vulgus « Annuntiatae » vocitarentur.

Quamvis in aula dies ageret suos, Ioanna nihilo minus austerum monialium vitae institutum servare nitebatur. Quam ob rem, proprium conditae abs se Sodalitatis vestem sibi induere voluit, quam licet, pro sua vitae condicione, vestibus principalibus operiret, adeo tamen dilexit, ut sive in morte sive post mortem sibi detrahi vivens vetuerit. Sed, id spectans quod in Ordine magis quam vestis ad sanctimoniam facit, die Pentecostes, anno millesimo quingentesimo quarto, vota etiam, quae erant religiosae familiae propria, coram Gabriele Maria, nuncupavit. Atque nuncupata vota ea semper fide servavit, ut alumnis suis in omni virtutum genere exemplo esset et admirationi.

In primis, ut par erat, mirae erga Deum pietatis exempla praebebat; qua adeo eius ardebat animus, ut sua quasi sponte ad superna traheretur et ad perennem Caelestis Numinis laudem. Immo nihil aliud hisce in terris appetere videbatur quam Christo Iesu omnibus in rebus placere. Quapropter haud sane mirum si asseveratum a non paucis est Ioannam potiusquam « pietatem vixisse, eadem fuisse prope confectam »; si dictum est Divini Redemptoris eam pectoris penetralia pervestigare potuisse; si in earum numerum animarum in vulgus relata est, quae incensam erga sacratissimum Cor Iesu religionem longe ante professae testataeque sunt, quam haec in catholica Ecclesia communiter invalesceret; si denique, suorum veluti praemium officiorum, donum, quod vocant, lacrimarum divinitus accepit.

Ex hoc autem flagrantissimae pietatis quasi fonte Ioanna pariter alimentum pariter incitamentum sumebat ad ceteras etiam virtutes excolendas, quibus in exemplum omnibus praelucebat. Coluit animi demissionem, cuius gratia a suae magistro pietatis postulabat, ut suas sibi infirmitates veluti contumelias coram obiceret. Coluit per totum vitae cursum tam absolute castimoniam, ut re vera ad eam referri illud posset quod de Iudith scriptum est: « Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum » (Idt. 8, 8). Coluit, etsi sanguine orta regio, paupertatis studium, sive libentissime primum tenuitatem sustinendo, ad quam ex patris voluntate redacta fuerat, sive deinde in egenos Deique cultum et gloriam erogando opes, quae erant cum ducatus administratione co-

niunctae. Coluit denique voluntariam sui ipsius castigationem; quoniam quantumvis infirma perpetuo laboraret valetudine, corpus tamen affligere non parcebat, sive cilicino se frangens thorace, sive pectus sibi saxo tundens, sive flagellis ad sanguinem usque se caedens.

Quis ergo non opinetur talibus ornatam virtutibus animam iam fuisse caelo maturam? Ac profecto, post brevem morbum, die quarta mensis februarii anno millesimo quingentesimo quinto, annum agens unum supra quadragesimum, placidissime de hac vita migravit. Quo horae momento tradunt arcano lumine totum defunctae corpus fuisse collustratum, itemque splendentem nubem supra domum stetisse, quasi civibus nuntiaret ex his tenebris fuisse ad sempiternam lucem eam ereptam, quam omnes « bonam sanctamque ducissam » vocare solerent.

Nihil igitur mirum si et iusta illi persoluta sunt pompa maxima, et ad illius sepulcrum, de eius voluntate, in monasterii sacello positum, advolare christifideles coeperunt, ubi plurima prodigia patrata esse narrabantur.

At corpus eius quae, dum viveret, multis doloribus affecta fuerat, ne post mortem quidem molestiis caruit. Etenim eo tempore quo contentiones religionis causa in Gallia flagrabant, Calvinianae doctrinae sectatores quidam Ioannae corpus e sepulcro educere et, quamvis, ut fertur, sive vocem sive sanguinem edidisset, in publico loco incendere ausi sunt.

Ob brevem suae vitae cursum, Ioanna unum suae Sodalitatis Avaricense monasterium hisce in terris cognovit. Sed, post eius decessum, adeo Ordo floruit ut, saeculo decimo sexto exeunte, decem domus iam conditae essent, quibus, proximo ineunte saeculo, ad triginta aliae accesserunt. Quodsi Sodalitas, ob generale Gallicae Reipublicae turbamentum, gravissimas profecto iacturas fecit, non tamen omnino interiit; quin potius e scintillis, quae reliquae fuerunt, ita Sodalicium gradatim est postea restitutum, ut nostra aetate plura monasteria recenseat; in quibus uberes pietatis sanctimoniaeque fructus, praeterquam in Sodalicii alumnarum, in proximorum etiam utilitatem, Caelestium Regina auspice, progignuntur.

Interea autem sanctitatis opinio, quam Ioanna iam inde a suo obitu invenerat, in dies magis apud christifideles percrebrescebat, qui non frustra eius tutelam implorabant. Ex quo factum est ut anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Benedictus XIV, Decessor Noster, favorabili audita sententia S. Consilii Ritibus moderandis, eum cultum ratum habuerit quem sponte « ab immemorabili » populus eidem tribuerat, et Ioannam in Beatorum Caelitum album, aequipollenti, uti

aiunt, pronuntiatione rettulerit; posteaque Pius VI, Decessor Noster, anno millesimo septingentesimo septuagesimo quinto rite declaraverit Ioannam christianas virtutes heroum more coluisse, eiusque festum liturgicum, quod vocant, ab universa Gallia celebrari siverit.

Sed publicarum rerum conversio, quae in Gallia deinceps conflata est, exortaeque inde perturbationes in causa sane praecipua fuerunt, quo minus de Sanctorum Caelitum honoribus Ioannae decernendis agi suo tempore potuerit.

Post igitur varios conatus frustra captos, ad nostram usque aetatem, ad annum dicimus millesimum nongentesimum tricesimum septimum, res ducenda fuit, cum dilecto Filio Renato Fontenelle, Canonico Vaticano, in hac causa Postulatoris partes, ut aiunt, Nobisque ipsis, antequam ad Petri Cathedram eveheremur, Relatoris concreditae fuerunt. Porro autem quod consecutum est bellum, in omnes fere gentes exardescens, si hinc effecit ut causa iterum procrastinaretur, hinc tamen, Deo sic providente, contra dedit, ut caelestes religiones Ioannae pronuntiandae in Iubilaris huius anni triumphos inciderent.

Ad hanc vero Ioannae sollemnem veluti consecrationem, uti usitatus est mos Ecclesiae, non antea devenimus, quam ad iudicium, quod de eius virtutibus prolatum fuerat, a Deo ipso quodammodo signa accederent omnino certa: nisi, inquimus, miracula prius rata habita fuissent, quae, Ioanna deprecante, patrata dicerentur.

E quibus miraculis tria, quae infra narrantur, ad propositam causam, de qua dicimus, tradito more probata sunt.

Anno millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, puella Ioanna Maria Mazelhier, Albigae commorans, in Gallia Narbonensi, ob graviter suppurantem cheratitem, ipsamque captam irida, omnem plane aspectum amiserat. Frustra medicinis adhibitis, aegrotae parentes Ioanna Regina deprecatrice usi sunt ad Deum, qui puellae oculorum lumina restituit. Eamque sanationem medici testati sunt ope dumtaxat humana perfici neutiquam potuisse.

Alterum, quoad ad rem allatum est, miraculum eodem anno, eadem in urbe, in eodemque morbi genere patratum esse dicitur. De Ioanna Maria Chaynes, Antonii Revel uxore, agitur, quae atrophiae glaucomaticae causa, qua iam tres menses acriter laboraverat, oculorum lumina amiserat. Sed die vicesima octava mensis Iunii, cum divinis mysteriis in aede Virginis Deiparae ab Angelo salutatae adesset, implorato enixis precibus beatae Ioannae patrocinio, visum ilico recepit. Atque hac etiam

in re medici reique periti, ad hoc a S. R. C. delecti, sanationem declaraverunt humanas vires hisce conditionibus transgressam esse.

Tertio denique miraculo, anno millesimo nongentesimo tricesimo secundo, ad salutem reducta est Martha Fourrier, sodalis Ordinis ab Annuntiatione, ex archidioecesi Parisiensi. Quae stomachi ulcere, quo iam ab anno millesimo nongentesimo secundo affecta erat, bis eo adducta fuit ut de vita decedere videretur, planeque desperaretur a medicis. Sed nequaquam a ceteris sodalibus suis desperata fuit, quae novendialibus supplicationibus honori Legiferae Matris suae hanc ob rem operam dederunt. Atque precibus annuit benigne Deus. Nam die septima mensis Augusti aegrota se sanatam ilico sensit; eamque omnino esse re ipsa sanatam medici testimonio confirmarunt.

His de miraculis disceptatum est in *antepraeparatorio* et *praeparatorio,* quos vocant, S. Rituum Congregationis conventibus, coram venerabili Fratre Nostro Eugenio S. R. E. Cardinale Tisserant, Episcopo Portuensi et S. Rufinae, qui, post Nostram ad supremum Pontificatum evectionem, Nobis in hac Canonizatione procuranda suffectus est; ac demum in generali, coram Nobis in Palatio Nostro in Arce Gandulphi prope Romam, die nona Novembris mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo. In quo cum idem Cardinalis dubium proposuisset « *An et de quibus miraculis, post indultam B. Ioannae de Valois ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur* », omnes qui aderant Patres Cardinales, Officiales Praelati et Consultores suum quisque tulerunt suffragium. Nos vero iudicium Nostrum ad diem decimam nonam insequentis Decembris edere distulimus, omnesque hortati sumus ad Deo interim fundendas preces, ut Nobis divini luminis claritas in re tanti momenti praesto esset. Eo autem die, ad Nos arcessitis venerabilibus Fratribus Nostris quem supra diximus Cardinale Tisserant et Clemente S. R. E. Cardinale Micara, Episcopo Veliterno, S. Rituum Congregationis Praefecto, atque venerabili Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulo Seleuciensi in Isauria, eiusdem S. Congregationis a Secretis, ac dilecto Filio Salvatore Natucci, Generali Fidei Promotore, sollemniter ediximus: « *Constare de perfecta sanatione Ioannae Mariae Mazelhier a caecitate completa et insanabili ob cheratitem suppurantem gravem in utroque oculo. Constare quoque de instantanea perfectaque sanatione cum Ioannae Mariae Chaynes a completa insanabili caecitate in utroque oculo ob atrophiam glaucomatosam, tum Sororis Marthae Fourrier a chronico ulcere iuxtapilorico cum pilori*

stenosi ». Decretum hoc in S. Rituum Congregationis acta eodem die relatum fuit.

Ad legitimum igitur huius Causae exitum hoc unum dubium excutiendum supererat, an, scilicet, tribus miraculis rite probatis, ad summum honoris fastigium, quo Ecclesia praeclarissimos filios suos tanta dignos gloria augere solet, Beata quoque Ioanna, Galliae Regina, *tuto* extolli posset. Dubium hoc ab eodem Cardinale Eugenio Tisserant in generali S. Rituum Congregationis coetu, die duodevicesima Ianuarii mensis superiore anno coram Nobis coacto propositum fuit, atque omnes qui aderant Patres Cardinales, Praelati Officiales et Consultores affirmantem sententiam protulerunt. Nos vero Nostrum patefacere iudicium ad diem decimam tertiam Februarii mensis ipsius anni distulimus, ut ingeminatis precibus maius interim lumen a Divino Spiritu acciperemus. Quo die ad Nos advocatis quos supra diximus Cardinalibus Eugenio Tisserant et Clemente Micara, atque Alfonso Carinci et Salvatore Natucci, divinaque Hostia prius litata, sollemniter pronuntiavimus : *Tuto procedi posse ad Beatae Ioannae, Galliae Reginae, sollemnem Canonizationem.*

Ut vero in re tanti momenti omnia a Praedecessoribus Nostris sapienter statuta servarentur, die decima quarta Martii mensis eiusdem anni, Consistorium secretum coram Nobis coactum est, in quo venerabilis Frater Noster Clemens Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus, brevem habuit sermonem de vita et miraculis Beatarum Bartholomaeae Capitanio, Virginis; Mariae Iosephae Rossello, Virginis; Ioannae de Valois, Galliae Reginae, atque acta recensuit, quae in earumdem Beatarum Beatificationis et Canonizationis Causis S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, uti legitima probaverat, magnoque omnes studio incendit ut Beatarum illarum memoria summis consecraretur honoribus. Quo sermone expleto, Patres Cardinales qui aderant suam singillatim sententiam tulerunt.

Eodem die, Consistorio *secreto* absoluto, statim in eadem aula *publicum* habitum est, in quo dilecti Filii Consistorialis Aulae Advocati, tum pro earum, quas modo memoravimus, Beatarum, tum Vincentiae Gerosa et Ioannae de Lestonnac Canonizatione diserte peroraverunt.. Quod pro Beata Ioanna, Galliae Regina, dilectus Filius Franciscus Xaverius Parisii eleganti oratione peregit.

Nos vero, quamvis Beatis illis sanctitatis honores decernere quam maxime cuperemus, verumtamen Advocatis Consistorialibus, per dilectum Filium Antonium Bacci, ab epistolis ad Viros Principes, respondimus non ante iudicium Nostrum laturos quam in Consistorio, quod *se-*

mipublicum vocatur, omnes tum Purpurati Patres, iterum, tum in Urbe adfuturi venerabiles Fratres Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi suam mentem Nobis aperirent.

Mandavimus itaque ut singulis Antistitibus commentarii mitterentur de earumdem Beatarum Causis, ut, re plene cognita, suam quisque sententiam ferre posset. Quod quidem Consistorium die secunda insequentis Maii mensis coram Nobis coactum fuit, et in eo Nos, adstantes Antistites allocuti, eos rogavimus ut quid de Beatarum Bartholomaeae Capitanio, Virginis; Vincentiae Gerosa, Virginis; Mariae Iosephae Rossello, Virginis; Ioannae de Valois, Galliae Reginae; et Ioannae de Lestonnac, Viduae, opinarentur, alius post alium, ex suae dignitatis ordine significare vellent. E latis suffragiis laeto animo accepimus omnes tum Purpuratos Patres, tum Sacrorum Antistites Beatas illas ad Sanctorum honores quam primum extollendas existimare. Diem itaque statuimus ad illarum Caelitum Canonizationem in Petriana Basilica celebrandam sollemnibus illis caeremoniis, quae ob ipsam apparatus maiestatem eventus magnitudinem declarare videntur. Canonizationi autem Beatae Ioannae, Galliae Reginae, diem Pentecostes, hoc est, vicesimum octavum Maii mensis, Anni Sacri millesimi nongentesimi quinquagesimi designavimus. De quibus rebus ut acta conficerent adstantibus Protonotariis Apostolicis mandavimus.

Cum tandem praestitutus dies illuxit, omnibus tum saecularis tum regularis cleri ordinibus, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus, pluribus Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis et Patriarchis, atque sacro S. R. E. Cardinalium Collegio sollemni pompa praeeuntibus, *Sanctorum Litanias* et hymnum *Ave Maris Stella* praecinentibus, Petrianam Basilicam, magnifice exornatam, et magna hominum multitudine stipatam, quos inter multi fideles e Gallia et non paucae sanctimoniales e Congregatione « ab Annunciatione », ad quam condendam Regina ipsa operam suam contulit, Nos ipsi ingressi sumus, et, brevi ante altare maximum effusa prece, ad Nostram Cathedram perreximus.

Tunc, praestita prius Nobis, uti de more, ab astantibus Cardinalibus oboedientia, venerabilis Frater Noster Clemens Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus et huic Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Francisco Xaverio Parisi, Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius, instantissime* a Nobis efflagitavit ut Beatae Ioannae, Galliae Reginae, Sanctorum honores decerneremus. Nos autem, Divini Paracleti lumine una cum Clero et fidelibus prius

implorato, in Cathedra sedentes, uti universae Christi Ecclesiae Magister, sollemniter pronuntiavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatam Ioannam, Galliae Reginam, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia universali illius memoriam quolibet anno, die eius natali, quarta nempe Februarii, inter Sanctas nec Virgines nec Martyres, pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.*

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, postulationi annuentes eiusdem Cardinalis Clementis Micara, per eundem Advocatum Consistorialem Franciscum Xaverium Parisi Nobis porrectae, hasce Decretales sub plumbo Litteras confici expedirique iussimus; adstantibus vero Protonotariis Apostolicis ut de Canonizatione hac publicum construerent instrumentum mandavimus. Gratias mox Omnipotenti Deo ex corde egimus, hymnum *Te Deum laudamus* cum confertissima multitudine canentes, ac primum novensilis Sanctae patrocinium invocavimus, eiusque brevi homilia teximus elogium, fideles omnes adhortantes ut ipsius memoriam pie prosequerentur ac virtutes praesertim imitarentur. Maxime autem omnes monuimus, ut in eius vitam intuerentur, ab eaque intellegerent non humanas amplitudines, non divitias, non saeculi voluptates felicitatem hominibus impertire posse, sed virtutem solummodo, qua, ut verbis Ciceronis utamur, « nihil est... formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius » (Cic. Fam. IX, 14). Denique, postquam Apostolicam Benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam astantibus impertivimus, ad altare accessimus incruentum sacrificium oblaturi.

Sanctae igitur Ioannae, Galliae reginae, hisce Litteris consecrata memoria, omnibus bene perpensis, certa scientia deque Nostrae apostolicae potestatis plenitudine omnia et singula quae supra diximus iterum confirmamus, roboramus, statuimus, decernimus atque universae Ecclesiae catholicae denuntiamus.

Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis vel excerptis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis eiusque sigillo munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent.

Si quis autem Decretales has Litteras Nostras definitionis, decreti, ascriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae ausu temerario infringere vel eis contraire, aut id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima octava Maii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego EUGENIUS, Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae, Cardinalis TISSERANT, S. Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS, Episcopus Veliternus, Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH, Episcopus Albanensis, Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS, Episcopus Praenestinus, Cardinalis ALOISI-MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES, Episcopus Sabinensis et Mandelensis, Cardinalis PIAZZA.

Ego ALEXANDER, titulo S. Mariae in Cosmedin, Presbyter Cardinalis VERDE

Ego PETRUS, titulo S. Crucis in Hierusalem, Presbiter Cardinalis FUMASONI-BIONDI.

Ego FRIDERICUS, titulo S. Mariae de Victoria, Presbyter Cardinalis TEDESCHINI.

Ego DOMINICUS, titulo S. Apollinaris, Presbyter Cardinalis IORIO.

Ego MAXIMUS, titulo S. Mariae in Porticu, Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS, S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus, Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.
Ego IOANNES, S. Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis MERCATI.
Ego IOSEPH, S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario
EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

C. Card. MICARA
S. Rituum Congr. Praefectus.

† Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleucien., *Dec. Proton. Ap.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a Studiis.*

EXPEDITA

die septima, mensis Aprilis, anno tertiodecimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 95. – Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

LAOSIENSIS
(THAKHEKENSIS)

A VICARIATUS APOSTOLICI LAOSIENSIS IN INDOSINA TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM PRAEFECTURAM APOSTOLICAM THAKHEKENSEM NOMINE ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Maius sane catholicae rei incrementum comparari et facilius dominici gregis regimini provideri potest, si latissimum plerumque enascentium inter ethnicos Ecclesiarum territorium dispertiatur et novae exinde condantur Missiones, aliorum Evangelii Praeconum curis concredendae. Quod quidem perpendentes, venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositi, facultatibus utentes sibi a Nobis concessis et per totum hunc labentem iubilarem annum valituris, in plenariis comitiis, proxime elapsa die duode-

vicesima huius mensis habitis, Vicariatus Apostolici Laosiensis in Indosina territorium bifariam dividere decreverunt, et quatuor provincias civiles, quas vocant *Cammon, Savannakhet, Saravane* et *Bassac,* ad Laosiense regnum pertinentes, in novam Praefecturam Apostolicam erexerunt, *Thakhekensem* appellandam, et illam Societatis Parisiensis pro Missionibus ad Exteras Gentes sodalium curis, qui iamdiu impenso illic studio adlaborant, ad Apostolicae tamen Sedis nutum commiserunt. Nos vero hanc Sacrae Congregationis Fidei Propagandae sententiam approbantes ac ratam habentes, harum Apostolicarum Litterarum vi, suprema apostolica Nostra auctoritate confirmamus et idcirco novam Praefecturam Apostolicam Thakhekensem, uti supra circumscriptam, erectam et constitutam declaramus ac decernimus. Novae igitur huic Praefecturae Apostolicae eiusque pro tempore Praesulibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praefecti iure communi fruuntur et gaudent; eosdem pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, ita disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum autem Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri, in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam disiunctionis, erectionis, constitutionis, concessionis, confirmationis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima prima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

EXPEDITA
die 24 Ianuarii, anno duodecimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 71. – Al. Trussardi.

II

RIOPRETENSIS

CANONICORUM COLLEGIUM IN CATHEDRALI ECCLESIA RIOPRETENSI ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Decessor Noster fel. rec. Pius Undecimus in apostolicis sub plumbo Litteris, quarum initium *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* anno millesimo nongentesimo vicesimo nono, Ianuarii mensis die quinta et vicesima datis, quibus novam in Brasilia dioecesim Riopretensem una cum Jaboticaballensi erexit, benigne indulsit ut, donec in ea constitui posset Capitulum Cathedrale, interim ad iuris tramitem pro Canonicis eligerentur et adhiberentur Consultores Dioecesani. Nunc vero venerabilis Frater Libanius Lafaiete, hodiernus Riopretensis Antistites, temporis tandem advenisse opportunitatem censuit in sua quoque cathedrali ecclesia constituendi Canonicorum Collegium, qui nempe suum efficiant senatum, Episcopo sacra solemniter peragenti adsint, atque in dioecesis regimine et administratione ipsum valeant consilio et opera iuvare. Quapropter supplices Apostolicae Sedi, ad quam unice spectat Canonicorum collegia instituere, porrexit preces, ut suam vellet rogationem excipere. Nos vero, auditis venerabilis Fratris Caroli Chiarlo, Archiepiscopi titulo Amideni et in Brasiliana Republica Nuntii Apostolici, favorabili sententia et venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis S. Congregationis Consistorialis a Secretis consilio, quas diximus preces excipiendas duximus. Supplentes igitur, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, consensum, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, in cathedrali ecclesia Riopretensi erigimus Canonicorum Collegium, quod duabus constabit Dignitatibus, Decanatu nempe et Praepositura, atque octo Canonicatibus, quorum alter Canonico Theologo, alter Canonico Poenitentiario conferetur. Dignitatum et Canonicatuum donatio, etiam prima vice, fiet ad iuris communis normam. Indulgemus tamen ut, quousque beneficia illa congrua praebenda provisa non fuerint, Dignitates et Canonici, alio etiam beneficio praediti cum animorum curatione coniuncto, eligi possint. Divinum officium peragetur tantum diebus Nativitatis D. N. I. C.,

Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Assumptionis Almae Dei Genetricis Mariae, S. Iosephi eius Sponsi, Cathedralis Titularis, Dominica die in Palmis, atque in novissimo triduo Hebdomadae Maioris. Cum autem non parum deceat ut qui in Episcopi consilium et senatum adsciscuntur quibusdam condecorentur insignibus, concedimus ut Dignitates et Canonici, intra fines dumtaxat propriae dioecesis et in functionibus capitularibus, vestem adhibeant talarem nigram cum fimbriis violacei coloris, zonam sericam pariter violaceam, rochetum cum reflexu coccineo, vel melhocremisi in manicis, mozetam e serico villoso nigro cum fimbriis coccineis et, secundum anni tempus, cappam cum pellibus albi coloris atque caligas violaceas. Quoad vero cetera omnia quae ad Capitulum Cathedrale attinet, officia scilicet, munera, iura et privilegia, ad amussim servari iubemus normas iuris communis; proindeque, Nostris his Litteris ad effectum deductis et Capitulo constituto, ipso facto Consultores dioecesani a suo munere cessabunt. Volumus insuper ut capitulares constitutiones, ad iuris tramitem et secundum ea quae his Litteris statuta sunt, quamprimum conficiantur, quas postquam Episcopus probaverit, eas ab omnibus Dignitatibus et Canonicis religiose servari iubemus. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, perficienda venerabilem, quem supra memoravimus, Fratrem Nuntium Apostolicum in Brasilia, vel illum qui in exsecutionis actu Nuntiaturae praesit, delegamus, eidemque necessarias et opportunas concedimus facultates, etiam subdelegandi, ad effecutm de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, atque illi onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, transmittendi fide dignum exsecutionis actorum exemplum. Hasce autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum porro Litterarum exemplis vel excerptis omnibus, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri, in ecclesiastica dignitate constituti, munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce ipsis tribueretur ostensis. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, concessionis, derogationis, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpse-

rit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

EXPEDITA

die vicesima quarta Ianuarii, anno duodecimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 7¼. – Al. Trussardi.

III

AFRICA MERIDIONALIS

HIERARCHIA EPISCOPALIS IN AFRICA MERIDIONALI CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Suprema Nobis ab ipso Christo Domino concredita cura et potestas universam regendi et moderandi Ecclesiam Nos urget ut indefessis consiliis et laboribus diffundere nitamur sanctissimam Christi fidem religionemque in omnes terras, in illas potissimum regiones, quae nondum evangelica luce plene collustrantur, atque quaelibet statuere, quibus enascentium illic Ecclesiarum regimini et gubernationi aptius ac fructuosius consuli possit. Hinc, Dei favente Numine, anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto in Sinis, superiore autem anno in Africa Occidentali Britannicae ditionis, episcopalem hierarchiam constituere potuimus; hodie vero, Nostram sollicitudinem ad Africam Meridionalem convertere censuimus, ubi per Evangelii Praeconum impensos labores, multiplicatis Missionibus, auctoque ethnicorum numero ad catholicam fidem traductorum, multisque sapienter et utiliter civilis cultus, religionis et caritatis florentibus institutis, laetissimos fructus res catholica,

Dei adiuvante gratia, accepit. Siquidem in Africa Meridionali ab ineunte saeculo decimo non paucorum catholicorum ibi commorantium curam spiritualem aliquot sacerdotes e clero saeculari Hollandiae susceperunt, qui frustra tamen varias inter adversitates allaborarunt et denique nulla facta accusatione, nulla servata iudicii forma, a gubernio civili finibus illis exturbati fuerunt.

Anno millesimo octingentesimo duodevicesimo Vicariatus Apostolicus pro Capitis Bonae Spei locorumque adiacentium territorio a fel. rec. Pio Papa VII erectus est et illi Praesul datus est ad evangelizationis opus ibi curandum primus Vicarius Apostolicus, Beda Slater, Congregationis Anglo-Benedictinae alumnus. At insequenti anno, cum eidem ad missionem publica potestas accessum denegaret, ipse suam elegit sedem in insula Mauritii, uti eiusdem quoque Apostolicus Vicarius, usque dum anno millesimo octingentesimo tricesimo septimo ab ipsius iurisdictione Vicariatus Bonae Spei detractus fuit; quo anno Apostolica Sedes, Vicariatu Apostolico Africae Meridionalis constituto, sacerdotem Dublinensem Ordinis Praedicatorum, Raymundum Griffit, Episcopum titulo Palaeopolitanum atque primum totius Africae Meridionalis Vicarium Apostolicum designavit. Anno porro millesimo octingentesimo quadragesimo septimo Vicariatus iste in duos districtus, occidentalem et orientalem, divisus est, quo sacerdotes e clero saeculari mittebantur, quorum pars maior erant natione Hibernici, iam Collegii Urbaniani de Propaganda Fide alumni. Ob erectionem autem anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, quintadecima die Novembris mensis, a fel. rec. Pio Papa IX factam Vicariatus Apostolici Natalensis, quem Missionales Oblati Mariae Immaculatae studiosissime excolere coeperunt, evangelizationis opus praecipue apud indigenas propria sumpsit initia. Quod temporis decursu, adventantibus illic aliis divini verbi satoribus, diversorum Ordinum et Congregationum sodalibus, tam prospera habuit incrementa, ut novas in amplissimo regionis illius territorio missionales circumscriptiones, Apostolicos nempe Vicariatus vel Praefecturas erigere necesse fuerit. Anno autem millesimo nongentesimo vicesimo secundo, die septima Decembris mensis, *ad decus et tutamen fidei catholicae augendum*, fel. rec. Pius Undecimus Decessor Noster Delegationem Apostolicam in Africa Meridionali constituit, ac primum Delegatum Apostolicum Iordanum Bernardum Gijlswijk, Archiepiscopum titulo Euchaïtenum, modo vita functum, elegit. Hodie vero viginti numerare datur ecclesiasticas circumscriptiones: in territorio scilicet *Unionis Sudafricanae* duodeviginti, quae sunt: in provincia civili Capitis Bonae Spei seu Coloniae Capitis: Vicariatus

Apostolici de Aliwal, de Cape Town, de Port Elizabeth, de Queenstown et de Umtata; in provincia civili Natalensi: Vicariatus Apostolici de Eshowe, de Mariannhill et Natalensis; in provincia civili Orangensi seu Status Liberi de Orange: Vicariatus Apostolici Bethlehemensis et de Kroonstad; in provincia civili Transwalensi: Vicariatus Apostolici Johannesburgensis, de Lydenburg, Praetoriensis et Abbatia *nullius* de Pietersburg. Insuper in regionibus Angliae patrocinio subiectis, Basutolandensi nempe et de Swaziland, duo eiusdem nominis Vicariatus. In quibus omnibus missionalibus circumscriptionibus tantum catholica res profecit, postremis potissimum hisce temporibus, ut opportunum visum sit ecclesiasticam inibi hierarchiam constituere.

Nos itaque, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositorum consilio, attentis voto et precibus venerabilis Fratris Martini Lucas, Archiepiscopi titulo Adulitani et in Africa Meridionali Delegati Apostolici, et venerabilium eius Delegationis Ordinariorum Apostolicae Sedi oblatis, ac suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia, atque omnibus, uti negotii gravitas postulabat, mature perpensis, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hierarchiam episcopalem, uti in ceteris fere omnibus catholici orbis partibus, in Africa Meridionali erigimus et constituimus, prout sequitur.

Quatuor deinceps inibi Provinciae ecclesiasticae erunt, nempe:

I. Provincia ecclesiastica *Civitatis Capitis* seu *Capetownensis*, complectens Metropolitanam Ecclesiam Civitatis Capitis seu Capetownensem, cui Cathedrales Ecclesiae suffraganeae subicientur: *Aliwalensis, Civitatis Reginae* seu *Queenstawnensis, Oudtshoornensis* et *Portus-Elizabethensis;*

II. Provincia ecclesiastica *Durbaniana*, quae complectetur Metropolitanam Ecclesiam *Durbanianam*, hucusque Vicariatum Apostolicum Natalensem, hoc nomine deinceps suppresso, cui suffraganeae erunt Cathedrales Ecclesiae *Collis Mariae* seu *Mariannhillensis, Eshowensis, Kokstadensis* et *Umtatana;*

III. Provincia ecclesiastica *Praetoriensis*, constans Metropolitana Ecclesia *Praetoriensi* et Cathedralibus Ecclesiis ei suffraganeis *Ioannes-Burgensi, Lydenburgensi* et *Bremersdorpensi*, hucusque Vicariatu Apostolico de Swaziland, hoc quoque nomine deinceps suppresso, atque Abbatia *nullius* de Pietersburg alias constituta, quae in posterum *Pietersburgensis* vocabitur;

IV. Provincia ecclesiastica *Bloemfonteinensis*, quae novam com-

plectetur ecclesiam *Bloemfonteinensem*, quam iisdem hisce Litteris Nostris nunc erigimus et ad Metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, territorio constitutam partim e Vicariatu Apostolico Kimberliensi in Africa Meridionali hucusque exstante, civilibus nempe districtibus vulgo *Bloemfontein, Thabunch, de Wetsdorp, Jacobsdal, Boshof, Wepener, Redderburg*, adiectis quibusdam portionibus ex districtibus civilibus vulgo *Ladybrand* et *Hoopstad*, quae hucusque ad eumdem Vicariatum pertinebant, partim e Vicariatu Apostolico de Aliwal, districtibus civilibus seiunctis vulgo *Fauresmith, Philippolis, Smithfield, Edenburg, Trompsburg* et *Zastron*, in provincia civili Status Liberi de Orange iacentibus. Novae huic Metropolitanae Ecclesiae Bloemfonteinensi suffraganeae erunt cathedrales Ecclesiae *Bethlehemensis, Keimoesana, Kimberleyensis, Kroonstadensis* et *Maseruena*, hucusque Vicariatus Apostolicus Basutolandensis nuncupatus. Quae omnes Ecclesiae tum Metropolitanae tum Suffraganeae et Praelatura *nullius* Pietersburgensis iurisdictioni Congregationis Fidei Propagandae, uti antea, subicientur; earum vero regimen, administratio et pastoralis cura iisdem Missionalium Societatibus erit, quibus hucusque fuit, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum. Quatuor autem quas memoravimus provinciis ecclesiasticis, una cum suis metropolitanis et cathedralibus Ecclesiis, uti supra erectis et constitutis, Archiepiscopi seu Episcopi cuiusque sedes in locis, a quibus unaquaeque archidioecesis vel dioecesis nomen mutuatur, constituetur; Antistitis vero cathedra in ecclesia erit, quae hucusque princeps habebatur in quoque Vicariatu Apostolico, nunc ad archidioecesis vel dioecesis gradum et dignitatem evecto. Novae porro metropolitanae Ecclesiae Bloemfonteinensis Archiepiscopi sedes in *Bloemfontein* urbe, cathedra vero in ecclesia Sacri Cordis Iesu erit. Singulis autem novis istis Metropolitanis seu Cathedralibus Ecclesiis earumque pro tempore Antistitibus omnia tribuimus iura et privilegia, honores, insignia et favores, quibus ceterae per orbem Metropolitanae et Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur; itemque omnia ipsis onera et obligationes imponimus, quibus ceteri obstringuntur; Archiepiscopis insuper peculiarem concedimus facultatem Crucem ante se deferendi et sacro Pallio iuxta liturgicas leges utendi, postquam tamen istud illi in sacro consistorio ab Apostolica Sede postulaverint et obtinuerint. Cum autem locorum et huius temporis adiuncta haud permittant quominus in novis istis dioecesibus Canonicorum Capitulum modo erigatur, indulgemus ut pro Canonicis dioecesani Consultores, e clero saeculari sive regulari, ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Episcopalem insuper uniuscuiusque dioecesis mensam,

praeter bona iam ibi exsistentia, fidelium oblationes et Curiae emolumenta constituent. Ad iuvenum in spem Ecclesiae succrescentium institutionem volumus ut dioecesanum seminarium, ubi iam non exstet, cum primum fieri poterit, erigatur iuxta codicis iuris canonici praescripta et a S. Congregatione Fidei Propagandae traditas normas. Quod vero ad earumdem novarum dioecesium regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi attinet, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Volentes insuper Nos quas supra ereximus archidioeceses et dioeceses suis instruere Pastoribus, primum quidem novae Metropolitanae Ecclesiae Bloemfonteinensi ut infra providebimus: ceteros venerabiles Fratres dignissimos Praesules, qui usque nunc in sibi creditis Vicariatibus Apostolicis tam sedulam catholicae fidei prolatandae curam impenderunt, Archiepiscopos seu Episcopos suae cuiusque sedis renuntiamus et constituimus, ac proinde de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a vinculo liberamus Ecclesiarum Episcopalium, quarum titulos una cum Vicariatu hucusque tenuerunt, et ipsis earumdem novarum Ecclesiarum curam, regimen et administrationem quoad sive spiritualia sive temporalia bona plene committimus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus suo cuiusque pastorali muneri adnexis. Quapropter transferimus: 1) ab Ecclesia titulo Stectorena ad Ecclesiam metropolitanam Civitatis Capitis seu Capetownensem Andenum McCann; 2) ab Ecclesia titulo Attudensi ad cathedralem Ecclesiam Aliwalensem Ioannem Lueck; 3) ab Ecclesia titulo Syedrensi ad cathedralem Ecclesiam Civitatis Reginae seu Queenstawnensem Ioannem Baptistam Rosenthal; 4) ab Ecclesia titulo Aborensi ad cathedralem Ecclesiam Ondtshoornensem Brunonem Hippel; 5) ab Ecclesia titulo Bagaiensi ad cathedralem Ecclesiam Portus-Elizabethensem Hugonem Boyle; 6) ab Ecclesia titulo Turuzitana ad metropolitanam Ecclesiam Durbanianam Dionysium Eugenium Hurley; 7) ab Ecclesia titulo Niciotana ad Ecclesiam cathedralem Collis Mariae seu Mariannhillensem Alfonsum Streit; 8) ab Ecclesia titulo Germanicopolitana ad Ecclesiam cathedralem Eshowensem Iosephum Aurelianum Bilgeri; 9) ab Ecclesia titulo Aezanitana ad Ecclesiam cathedralem Kokstadensem Evangelistam McBride; 10) ab Ecclesia titulo Badiensi ad cathedralem Ecclesiam Umtatanam Iosephum Grueter; 11) ab Ecclesia titulo Traculena ad metropolitanam Ecclesiam Praetoriensem Ioannem Colburn Garner; 12) ab Ecclesia titulo Legiensi ad cathedralem Ecclesiam Ioannes-Burgensem Gulielmum Patricium Whelan; 13) ab Ecclesia titulo Bitensi ad cathedralem Ecclesiam Lydenburgen-

sem Ioannem Riegler; 14) ab Ecclesia titulo Thagastensi ad cathedralem Ecclesiam Bremersdorpensem Constantinum M. Atilium Barneschi; 15) ab Ecclesia titulo Siguitana ad cathedralem Ecclesiam Bethlehemensem Petrum Kelleter; 16) ab Ecclesia titulo Adrasena ad cathedralem Ecclesiam Keimoesanam Henricum Iosephum Thünemann; 17) ab Ecclesia titulo Tremithusia ad Ecclesiam cathedralem Kroonstadensem Gerardum Norbertum van Valsen; 18) ab Ecclesia titulo Pachnemunitana ad Ecclesiam cathedralem Maseruenam Iosephum Delphinum Des Rosiers; 19) ad novam autem metropolitanam Ecclesiam Bloemfonteinensem aliis Nostris Litteris hac ipsa die datis venerabilem Fratrem eligimus Ermannum Iosephum Maysing, hactenus Episcopum Ecclesiae Minensis, cuius tituli vinculo absolvimus; 20) novae insuper cathedrali Ecclesiae Kimberleyensi, metropolitanae Ecclesiae Bloemfonteinensi suffraganeae, suo Praesule instruendae, per alias Apostolicas Litteras quam primum providebimus. Volumus vero ut omnes Vicarii Apostolici ad metropolitanas vel ad cathedrales Ecclesias e titularibus Ecclesiis ita translati, antequam in suae sedis canonicam veniant possessionem fidelitatis iusiurandum in manibus alicuius quem maluerint catholici Antistitis, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentis, iuxta statutam formulam, huiusque exemplar sui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munitum, ad S. Congregationem Fidei Propagandae quam primum transmittant; a catholicae autem fidei rituali professione renovanda eos suprema auctoritate Nostra liberamus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Africa Meridionali Delegatum Apostolicum vel eum qui in exsecutionis actu Delegationi illi praeerit, deligimus eidemque necessarias et opportunas concedimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus iniungimus ad Sacram illam Congregationem Fidei Propagandae omnium actorum peractae exsecutionis exemplar, quam primum fas erit, transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac pote-

statis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, evectionis, concessionis, translationis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die undecima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

EXPEDITA

die quinta Aprilis mensis, anno tertio decimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 96. – A. Trussardi.

IV

JARENSIS
(CAPICENSIS)

DIOECESIS JARENSIS TERRITORIUM BIPARTITUR ET NOVA ERIGITUR DIOECESIS CAPICENSIS NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex supremi apostolatus officio, Nobis divinitus commisso, quo universo dominico gregi pascendo et gubernando consulimus, illud quoque Nobis curandum est ut, si qua exstet dioecesis nimio territorio redundans et crebrior in ea facta sit populi frequentia, illa dispertiatur et nova erigatur dioecesis alterius Pastoris regimini tradenda. Quam ob rem, attenta favorabili sententia venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titulo Myrensis et in Insulis Philippinis Delegati Apostolici, deque venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, enixis precibus, quibus venerabilis Frater Iosephus Maria Cuenco, Episcopus Jarensis seu S. Elisabethae, postulabat, ut suae dioecesis territorium bipartiretur et nova erigeretur dioecesis, alterius vigilantis Pastoris curis concredenda, libentissime annuendum censuimus. Supplentes igitur, quatenus opus sit, aliorum qui sua interesse praesumant consensum, Nos, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, certa scientia ac re mature perpensa, a territorio quam memoravimus dioecesis Jarensis civiles provincias vulgo *Capiz* et *Romblòn* seiungimus, harumque territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, *Capicensem* appellandam. Novam hanc dioecesim, illarum civilium provinciarum limitibus circumscriptam, suffraganeam fore decernimus metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu seu Caebuanae eiusque pro tempore Episcopum metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Nominis Iesu. Sedem autem episcopalem in urbe vulgo *Capiz,* a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, statuimus; paroecialem vero aedem, Deo in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. dicatam, ibi exstantem, ad cathedralis Ecclesiae dignitatem evehimus; cui atque Episcopis Capicensibus omnia tribuimus iura, insignia, privilegia et honores, quibus episcopales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur; si-

mulque eos iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceterae cathedrales earumque Antistites in orbe catholico astringuntur. Praeterea, Ecclesiae Capicensis decori et utilitati consulere cupientes, in ea instituendum censuimus Canonicorum Collegium iuxta normas per alias Apostolicas Litteras edendas. Quamdiu vero dioecesis Episcopi senatu carebit, dioecesani consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur.Mensam episcopalem constituent fidelium oblationes, in quorum bonum dioecesis erecta est, et Curiae Episcopalis emolumenta. Quod autem attinet ad bonorum divisionem, ad Jarensem dioecesim hucusque spectantium, servari iubemus Canonem 1500 Codicis Iuris Canonici; quod vero spectat ad novae dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt adamussim servari mandamus. Quam primum insuper fas erit, minus saltem seminarium constituatur ad iuris canonici normam et iuxta regulas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus statutas, ex quo electi iuvenes ad Pontificium Pianum Latinum Collegium Americanum in Urbem mittantur, sub fere oculis Nostris in spem Ecclesiae instituendi. Cum vero dioecesis Capicensis erectio per has Apostolicas Litteras perfecta fuerit, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur ascripti, in cuius territorio legitime degunt. Iubemus denique ut documenta et acta novam respicientia dioecesim eiusque clericos, fideles ac bona temporalia, a Curia episcopali Jarensi ad Capicensem quam primum transmittantur, in huius tabulario diligenter asservanda. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta perficienda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Insulis Philippinis Delegatum Apostolicum deligimus, et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem, quam primum authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenos et in-

tegros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima septima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 4. – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SANCTUS IOSEPH, SPONSUS B. MARIAE V., PRAECIPUUS BARRANQUILLENSIS DIOECESIS PATRONUS CONFIRMATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quemadmodum plantariis novellis singulari cura atque munimento opus est, ne languescant, ita, quae nuper a Sede Apostolica constitutae sunt Dioeceses, Caelestis Patroni fidei peropportune committuntur, quo vigeant satius uberioresque fructus edant sanctitudinis ac pietatis. Neque perperam munus istud Sancto Ioseph demandatur, qui ab Aeterno Patre Divini Filii Matrisque Eius intactae custos electus est fidissimus, cuiusque tutelae credita est Ecclesia universa. His permotus, Aloisius Callistus Leiva Charry, Barranquillensis illa aetate Episcopus, clero populoque morem gerens, Sanctum Ioseph suae Dioeceseos, anno MCMXXXII erectae, Praecipuum apud Deum Patronum renuntiavit, quam electionem fel. mem. Pius PP. XI, Decessor Noster, vota Praesulis eiusdem, Nuntii Apostolici in Columbia amplissimae commendationis officio suffulta atque a rec. mem. Carolo Salotti Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, relata, peramanter excipiens, pro sua erga Ecclesiae omnes partes sollicitudine ac benevolentia comprobavit. Hac autem re, quasdam ob causas subinde obortas, non explicata neque confecta, Venerabilis Frater Salvator Antonius Castro, hodiernus Episcopus Barranquillensis, nunc in Romana Curia praesens, humilibus Nos adiit supplicationibus ut, negotio huiuscemodi resumpto, Sanctum Ioseph tamquam Caelestem Patronum Dioeceseos, quam diximus, confirmare dignaremur. Nos autem, hisce temporibus, perturbatis admodum atque confusis, filios Nostros superni auxilii donis locupletare maxime volentes et optantes, precibus eiusmodi libenti animo statuimus obsecundare. Quapropter, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum tenore perpetuumque in modum, *Sanctum Ioseph* Praecipuum Barranquillensis Dioeceseos apud Deum *Patronum* confirmamus seu constituimus ac declaramus, omnibus et singulis privilegiis liturgicis adiectis, quae praecipuis Dioeceseon Patronis rite competunt. Con-

trariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Decembris, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

II

ECCLESIA SANCTI MATERNI, IN OPPIDO « WALCOURT » DIOECESIS NAMURCENSIS EXSTANS, BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS COHONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Excultioribus Templis magisque religiosis ac frequentibus nullo non tempore Sedes Apostolica decus addere solebat, quo Christifidelium pietatem impensius exacueret et amplificaret. In his aliquem obtinet locum Ecclesia Deo in honorem Sancti Materni dicata, qua oppidum « Walcourt », intra fines Namurcensis dioeceseos positum, haud mediocriter nobilitatur. Qua in Aede signum Beatae Mariae Virginis tantam habet venerationem, ut supplicum turmae eodem accedant continenter neque intermisso studio et alacritate. Hoc etiam in laudem cedit praeclari Templi huius, quod ab antiquissima repetitur aetate, siquidem, ut historiae prodiderunt, omnium locorum sacrorum, quae ob cultum Virginis Deiparae in Belgica commendantur, unus hic est vetustissimus. Ea vero qua nunc praestat forma atque specie, Ecclesia saeculo XI est excitata, quo et Collegialis Aedis honor ei decretus, neque defuerunt qui per labentia saecula artificiosissimis operibus eam auctitarent, ita ut genus « Romanicum » et « Gothicum » aliaeque res spectabiles, quibus est differta, in egregiam pulchritudinem convenirent. Memoratu sane dignus canentium

suggestus, cumulate et lautissime ornatus, qui Caroli V Imperatoris munificentiae nobile dicitur esse monumentum. Thesaurum quoque non immerito demirantur, quippe qui auri fabrefacti vi abundet. Propter Beatissimae Virginis simulacri religionem, quod durateum, argento obductum, arte « Romanica » conspicuum, inter antiquissimas statuas Almae Dei Genetricis in Belgica Dicione numeratur, Christifidelium, e tota regione, quasi in perfugium salutis et solacii stationem, ad hanc Ecclesiam sese recipientium, ingens consuevit esse multitudo, praesertim in festo Sanctissimae Trinitatis, quo geniali die admodum sollemnis pompa ducitur per pagum. Iamvero, expleto LXXV anno a quo hoc signum auctoritate Pii PP. IX, fel. mem., Decessoris Nostri, aurea redimitum est corona, eiusdem loci viri ecclesiastici, proceres et incolae per Venerabilem Fratrem Andream Charue, Episcopum Namurcensem, submissas ad Nos preces detulerunt, ut Templum, quod diximus, Basilicis Minoribus accensere dignaremur. Nos autem, qui omni ope annitimur, ut cultui Beatae Mariae Virginis ampliora ubique afferamus incrementa, vota huiusmodi libenti animo statuimus explere. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Sancti Materni in oppido « Walcourt » nuncupato et intra fines sito dioeceseos Namurcensis, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari: sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Maii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

III

VENERABILIS DEI FAMULUS FRANCISCUS ANTONIUS FASANI, SACERDOS, EX ORDINE FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM, BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quoniam ex Numinis consilio inopia et humilitas obtinent pro facultatibus et gloria, quemadmodum in divinis scriptum est libris: « nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? » (IAC., II, 15), ideo praestantissimi quique Christifideles, e Salvatore similitudinem ducentes, in hac vita sua sponte erant miseri et infortunati, ut in caelestis patriae bona adoptarentur, atque a rerum aestu et fluxis inanibusque saeculi studiis animum avocabant illi, quibus « esset magnum et uberrimum praedium ipse Deus » (S. AUG., *sermo CCCLV*, 1; *P. L.*, 38, 1570). Hanc immortalis laudis viam Sanctus Franciscus Asisinas carpsit, hanc institit Franciscus Antonius Fasani, Ordinis ab illo conditi alumnus egregius, cui Beatorum Caelitum honores hodie decernere statuimus. Luceria, in summo colle exaedificata urbs eaque prisco colore ac specie venusta, tantum virum progenuit, qui claritate rerum ipse emicaturus erat quasi « civitas supra montem posita » (cfr. MATTH., V, 14); ibi enim die sexta mensis Augusti, anno millesimo sexcentesimo octogesimo primo, humili loco natus est, cum parentes, Iosephus Fasani et Isabella La Monaca, agelli cultione victum quaeritarent, ac quattuor post dies sancto baptismate ablutus, nominibus inditis Donato, Antonio, Ioanne, Nicolao. Qui, a matre, proba muliere et post coniugis immaturam mortem facta legitimo foedere bivira, ad pietatem informatus, alienus a nugis, verecundiae et innocentiae retinens, religionum perquam studiosus, ab ineunte aetate ad veram gloriam contendit. Insidebat iam tum in mente ipsius species quaedam eius, quod postea initurus erat, muneris, cum, vix annum decimum agens, ex arbore de rebus divinis sacri oratoris instar dixerit, presbytero ad Eucharisticum Sacrificium administrare haberet in deliciis idque honestae lusionis causa cum aequalibus imitari, et, quamvis tenui victu ipse aleretur, panem cum esuriente dividere soleret. Quoniam vero in Beatam Mariam Virginem ab origine omnis labis expertem atque in Sanctum Franciscum Asisinatem et Antonium Patavinum singulari quodam ferebatur obsequio, Ordini Fratrum Minorum Conventualium,

apud quem Caelites illi quasi domestica coluntur religione, adulescens nomen dedit. Tirocinium in monte, Michaëlis Archangeli praesentia consecrato, omnium cum laude emensus, Franciscus Antonius — haec enim nova eius appellatio — die vicesima tertia mensis Augusti, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, paupertatis, castimoniae et oboedientiae vota animo inflammato nuncupavit. Ex translaticio more institutoque Ordinis provinciae, cui ascriptus erat, nonnullis in fratrum domiciliis studia diligentissime exercuit, quo tempore submissi animi moderatione, saeculi contemptu, Deo supplicandi perpetua consuetudine ac voluntaria castigatione is evasit quem aequalium assensus celebraret dilaudaretque posterorum recordatio. Anno millesimo septingentesimo tertio, e moderatorum permissione una cum sodale quodam Asisium concessit, ubi studiorum curriculum perficeret et, Antonio Marcheselli magistro usus, ad sepulcrum Seraphici Patris in huius se formaret mores ac virtutes. Profecto pietate ibi ceteros ita est praegressus, ut socii haberent quem imitarentur, et quem admirarentur invenirent seniores. Cum autem sacerdotium plurimi duceret, diu fluctuabatur animo, utrum id capesseret, sed dubitantem magister confirmavit dictoque audientem iussit sacris initiari. Postquam ergo, die undevicesima mensis Septembris, anno millesimo septingentesimo quinto, ad eiusmodi ascendit honorem, facto ex Ordinis more periculo, Romam se contulit, ut in Collegio Sancti Bonaventurae ad Templum Duodecim Apostolorum reconditioris doctrinae se traderet disciplinis; sed statim, religioni habens praesulum mandata conficere, Asisium in coenobium Sancti Francisci revertit, ut animum componeret ad subeundos pro aliorum salute labores. Procedens ergo quasi in solem et pulverem, sacras contiones per ieiunium quadragenarium in pago vicino habuit simulque auditus et probatus est. Ob quam ingenii et virtutis commendationem, anno millesimo septingentesimo septimo, ab Ordinis praesidum concilio Luceriam remissus, sodales, in spem religiosae familiae succrescentes, ut magister ad sanctimoniam instituit ac doctrinis erudivit. Mox etiam Lucerini coenobii rector creatus, gravia huiusmodi munera eo cum consilio ac diligentia exsequebatur, ut, quam de ipso habebant praepositi, vinceret opinionem; re quidem vera fratres meliorem virtutis disciplinam reperiebant nullam quam contemplationem atque imitationem iuvenis moderatoris. Anno autem millesimo septingentesimo vicesimo primo, Clementis Pp. XI, Decessoris Nostri, iussu, Ordinis provinciam Sancti Angeli animo obnoxio suscepit administrandam, quo in dignitatis gradu collocatus, sodales ad severiorem vitae rationem revocavit. Itaque, suavitatem habens austeram et solidam, id

assecutus est, ut Ecclesiae preces horariae graviter, pie, moris et respirationibus interpositis, denuo noctu, ex pristina consuetudine, recitarentur, summa cura poneretur in paupertatis studio, omnia denique Ordinis praecepta sancte observarentur. Neque populi commodis deerat Franciscus Antonius, praesertim ut sacer orator ac paenitentiae administer, nullique parcebat labori, ut egenis atque aegrotis opitularetur, non dubitans vestem sibi detrahere qua mendicum contegeret, et ut in carcerem detrusis et capitis damnatis christianam afferret levationem. Deum in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento praesentem incredibili quodam animi ardore excolebat, quo interdum factum est, ut sensus amitteret et in aëra tolleretur. Almam Deiparam, ob cuius religionem patria huius viri appellata est « civitas Sanctae Mariae », praecipua ferebat laude eiusque honori carmina conscripsit, quae loci incolae adhuc canere solent in celebritate. Erat etiam Famulus Dei naturae ipsius habitu supernoque quodam munere maxime aptus ad dicendum, qua in exercitatione, continentem plagam fere totam perlustrans, fructum consecutus est amplissimum. Non autem captiones vel inanes flosculos aucupabatur, sed, orationis materia ex Bibliis Sanctisque Patribus ducta, audientium animos, divino amore ipse calescens, perfringebat. Corpus macerabat asperrimis castigationibus, carnem cilicio ac flagro crucians, mensa sterili semel in die victitans, noctem agens paene insomnem. A Patre Francisco, Ordinis auctore, numquam desciscens, paupertati studebat vehementer adeo ut omnem cultum sive in veste sive in cella aspernaretur; voluptatis quoque titillationes fortiter superans, inviolatae castimoniae laude nomen suum ornavit. Lucerinam Sancti Francisci Aedem, vetustate ac situ obsoletam, stipe coacta instaurandam curavit, nihilque omittebat inexpertum, ut domus Dei decori et munditiae consuleret. Cui, cum iam pridem sibi mortuus esset, ut viveret in aevum, « soror mors » cara venit atque exspectata. Postquam, sciens « sarcinulas sibi esse colligendas », quemadmodum dicebat ipse, necessarios, amicos, beneficiorum auctores iussit valere, febri correptus, lecto tenebatur. Ecclesiae Sacramentis piissime sumptis, die undetrigesima mensis Novembris, anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Luceriae, quae urbs fuerat quasi theatrum operae eius ac virtutis, naturae placide concessit cum occasu solis, affulgente sibi luce sempiternae beatitatis. Cum sacri aeris tinnitus, tristis ex more nuntius, esset auditus, omnis civitas ad domum funestam est effusa, gemitus ac ploratus edens Sanctumque obiisse conclamans; vix cohibita multitudo, quominus partem vestium eius surriperet. Postquam exanime corpus supremo mandatum est officio, fama sanctitatis

eius etiam magis increbrescebat, quam Deum prodigiis confirmare videbatur. Idcirco, processibus ordinariis rite institutis ac perfectis, Causa de Venerabili Francisco Antonio in Beatorum Caelitum fastos referendo apud Sacram Rituum Congregationem agi coepta est; cuius introductionis Commissionem Gregorius Pp. XVI, Decessor Noster, anno millesimo octingentesimo trigesimo secundo, sua signavit manu. Omnibus ergo iis absolutis, quae in huiusmodi iudicio fuerant pertractanda, inita est disceptatio de virtutibus sive theologalibus sive cardinalibus Famuli Dei, quas, post acres investigationes probationesque ac sueta Comitia, ad gradum heroicum pervenisse Leo Pp. XIII, item Decessor Noster, lato decreto die vicesima prima mensis Iunii, anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo, edixit. Cum deinde exerceretur quaestio de miraculis, quae, Venerabili Francisco Antonio Fasani deprecante, a Deo ferebantur patrata, ac de quibus, magna sane cognitione dignis, in Congregationibus Antepraeparatoria, Praeparatoria et denique Generali, die vicesima mensis Februarii, hoc anno, coram Nobis celebrata, actum est, Nos, omnibus rebus perpensis, de duobus, edito decreto die quarta mensis Martii eiusdem vertentis anni, pronuntiavimus constare. Una superfuit disquisitio, an Famulus Dei inter Beatos Caelites tuto foret recensendus; quod quidem dubium propositum est a Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Ponente seu Relatore, in Generali Conventu, die tertia decima mensis Martii, eodem hoc anno, coram Nobis habito. Omnes autem, qui aderant, cum Purpurati Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi tum Praelati Officiales Patresque Consultores cunctis suffragiis id affirmaverunt. Nos tamen pro rei magnitudine mentem distulimus aperire, quo ad tam gravem ferendam sententiam supernum adiumentum, enixis precibus ad Deum admotis, amplius Nobis obveniret. Itaque, die tandem vicesima septima eiusdem mensis et anni, postquam sacris pie sumus operati, accitis Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, atque Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Relatore, necnon Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo et Supremi Consilii Sacris Ritibus praepositi Viro a secretis, ac dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad Venerabilis Famuli Dei Francisci Antonii Fasani Beatificationem *tuto* procedi posse declaravimus. Quae cum ita sint, Nos, vota Ordinis Fratrum Minorum Conventualium implentes, harum Litterarum vi atque auctoritate Nostra Apostolica, facultatem facimus, ut

Venerabilis Dei Servus Franciscus Antonius Fasani, Sacerdos, *Beati* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam ut eiusdem Beati imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de illo quotannis recitetur Officium de Communi Confessoris non Pontificis cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem communi cum Orationibus propriis approbatis celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi autem Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in dioecesi Lucerina, in qua Beatus ipse ortus est ac diem obiit supremum; itemque in Templis et Sacellis ubique terrarum sitis, quibus Ordo Fratrum Minorum Conventualium utitur, ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, a Sacerdotibus omnibus, ad Templa seu Sacella, in quibus Beati eiusdem festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Francisci Antonii Fasani, servatis servandis, supra dictis in Templis seu Sacellis celebrentur, postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Aprilis, Dominica tertia post Pascha, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EMUM P. D. EDUARDUM TIT. S. SUSANNAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM MOONEY, ARCHIEPISCOPUM DETROITENSEM, VICESIMUM QUINTUM EPISCOPATUS ANNUM IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Tibi prima episcopatus gaudia post quinque lustra redintegranti periucunda profecto exstabit tua bene actae vitae conscientia ac Nostra de ipsa faustitate gratulatio. Ipse enimvero, postquam heic Romae in primaevo flore sacris litteris doctrinisque enutritus es, sacerdotio initiatus, Theologiam dogmaticam in Seminario Clevelandensi adolescentes clericos docuisti, tum Rectoris munere perfunctus es; deinde, animarum cura in ecclesia Sancti Patritii civitatis Youngstown exercita, in urbano Pontificio Americae Septentrionalis Collegio, cuius alumnus fueras, magistrum pietatis egisti. Quae quidem tua erga Ecclesiam merita probe noscens, Decessor Noster ven. mem. Pius XI te, ad dignitatem archiepiscopalem evectum, Delegatum Apostolicum in Indiis Orientalibus renuntiavit. Tuam autem in obeundo hoc munere sollertiam luculenter testantur inter cetera plures novae Missiones erectae, tres dioeceses clero indigenae concreditae ac nova Delegationis Apostolicae sedes a catholicis Indiarum in memoriam iubilaei sacerdotalis ipsius Pii XI feliciter condita. Translatus deinde ad Apostolicam in Iaponia Delegationem et biennio post ad episcopalem sedem Roffensem in America, denique primus archiepiscopus metropolitanae istius sedis Detroitensis es auspicato nominatus. Praecipuas autem pastoralis officii tui curas impendisti ad novas paroeciales ecclesias sacrarumque Missionum sedes et oratoria condenda, ad catecheticam institutionem tum in scholis paroecialibus tum extra omni ope industriaque fovenda, ad opera socialia in bonum praesertim opificum provehenda, ad ineundas medicorum et mulierum curis infirmorum incumbentium consociationes, itemque ad salutaria aliorum caritatis operum incrementa. Quapropter Nos tibi, Dilecte Fili Noster, dum pro muneribus pastoralibus tam auctuose utiliterque gestis meritam tribuimus laudem, omnia a Domino fausta, prospera iucunda ominamur. Quo interea proximus sollemnitatis tuae

dies maiores populo tuo salutis fructus afferre queat, tibi ultro concedimus, ut, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, peculiaribus servatis normis ad Sacrum Iubilaeum attinentibus. Caelestis autem remunerationis praenuntia praecipuaeque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque clero populoque tuae vigilantiae tradito amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die Circumcisionis Domini, I mensis Ianuarii, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

II

AD EM̃UM P. D. MICHAËLEM TIT. S. ANASTASIAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM DE FAULHABER, ARCHIEPISCOPUM MONACENSEM ET FRISINGENSEM, ANNUM QUADRAGESIMUM AB EPISCOPATU ET TRICESIMUM A SUSCEPTA PURPURA IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Unserm geliebten Sohn Michael Kardinal von Faulhaber Erzbischof von München-Freising.

Binnen kurzem werden Sie, geliebter Sohn, dank Gottes gnädiger Fügung unter der freudigen Anteilnahme des Klerus und der Gläubigen der Erzdiözese München-Freising zwei aussergewöhnliche Erinnerungs- und Freudentage begehen können: den der vierzigjährigen Wiederkehr der heiligen Bischofsweihe und den der dreissigjährigen Zugehörigkeit zum Höchsten Senat der Heiligen Römischen Kirche als Kardinalpriester des Titels von St. Anastasia.

Wir können Uns vorstellen, dass Sie — der innersten Stimme und Stimmung Ihres Herzens folgend — es vorzögen, die Rückschau auf diese beiden bedeutsamen Daten Ihres von Gott gesegneten Lebensweges in der Stille der Betrachtung und dankerfüllter Versenkung in die gnadenvollen Absichten des Ewigen Hohepriesters zu einem Erntedankfest Ihrer Seele werden zu lassen, abseits von allen äusseren Feiern und Veranstaltungen.

Ohne Ihrer Demut und Selbstlosigkeit nahetreten zu wollen, senden Wir Ihnen mit vollem Bedacht und im Bewusstsein, damit der Ehre Dessen zu dienen, der Sie in Seiner Gnade zum Priester-und Hoheprie-

stertum berufen hat, Unsern väterlichen Gruss und zugleich mit ihm den Ausdruck Unseres innigen Dankes und uneingeschränkter Wertschätzung für die hervorragenden und in ihrer Art einzigen Dienste, die Sie in diesen vier Jahrzehnten Ihres Bischoftums und den drei Jahrzehnten des Kardinalats der Kirche und den Seelen geleistet haben.

Der Sonntag Sexagesima des Jahres 1911, wo Sie im Kaiserdom von Speyer aus der Hand des Erzbischofs von Bettinger die Bischofsweihe erhielten, der 7. März 1921, wo Unser Vorgänger Benedikt XV. Sie zum Kardinal kreierte, der 9. März mit der Birettaufsetzung und Ihrer noch heute unvergesslichen Dankrede an den Pontifex, der 10. März als Tag des öffentlichen Konsistoriums mit der Feierlichen Aufsetzung des roten Hutes, der 13. März, wo Sie am Fusse des Palatin Besitz von Ihrer römischen Titelkirche ergriffen-alle diese Daten sind für immer in die Annalen der Mutterkirche eingeschrieben. Und nunmehr, wo die bevorstehenden Gedenkfeiern diese längst vergangenen Tage in den Vordergrund der Erinnerung rücken, erkennen alle diejenigen, die noch Sinn für wahre Werte und noch ein Auge für wirkliche Verdienste haben, mit Genugtuung und Stolz, dass der Kirche und ihrem Volke in jenen Stunden ein Bischof und ein Kardinal geschenkt wurde, dessen reichem Lebenswerk sich die bewundernde Hochschätzung aller Gutgesinnten mit Recht zuwendet.

Niemand weiss besser als Wir zu ermessen, was in diesen vierzig Jahren an Verantwortung und Mühe, an Aufgaben und Opfern, und manchmal auch an Leiden sich auf den Schultern dessen häufte, der bei seiner Bischofsweihe sich unter dem Evangelienbuch dem *jugum Domini* beugte. Gott hat es gewollt, dass Wir Jahre hindurch Augen-und Ohrenzeuge Ihres bischöflichen Wirkens wurden, da Wir als Päpstlicher Nuntius in Bayern in Kriegs-und Nachkriegszeit eine Zeitenwende durchlebten, die Uns für immer unvergesslich bleiben wird. Jene Zeit hat Uns Einblicke in Ihr Wollen und Streben, in Ihr Wirken und Vollbringen, in Ihre Zielsetzungen und Gesinnungen gegeben, die zu Unsern tröstlichsten Erfahrungen und freudigsten Erinnerungen gehören.

Am 1. November des Heiligen Jahres sahen Wir Sie, geliebter Sohn, in ungebrochener Frische und Rüstigkeit bei jener *solemnitas solemnitatum,* wo Wir der katholischen Welt das Dogma der leiblichen Aufnahme der Gottesmutter in den Himmel verkündigen durften. Möge die gebenedeite Jungfrau, die der fromme Sinn Ihres engeren Heimatlandes als die Patronin Bavariae verehrt, Ihnen von dem Ewigen Hohepriester die Gnade erflehen, Ihrem gläubigen Volke noch lange der weise Führer, der wachsame Hüter, der unermüdliche Helfer, der unbeirrbare

Wahrheitskünder zu sein in einer Zeit, wo Licht und Finsternis, Wahrheit und Irrtum, Christentum und Antichristentum um die Seele der Völker ringen.

In dieser Gesinnung senden Wir Ihnen, Ihren Mitarbeitern, dem Welt-und Ordensklerus und allen Gläubigen der Erzdiözese als Ausdruck Unserer stets gleichbleibenden Liebe und als Unterpfand himmlischen Gnadenbeistandes aus väterlichem Herzen den Apostolischen Segen.

Aus dem Vatikan, am Sonntag Sexagesima, den 28. Januar 1951.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

*Ad participantes Conventui internationali de « Mouvement universel pour une Confédération mondiale ».**

Très sensible à votre déférente démarche, Nous vous adressons, Messieurs les membres du Congrès du « Mouvement universel pour une Confédération mondiale », Notre cordial salut de bienvenue. Notre vif intérêt pour la cause de la paix dans une humanité si durement tourmentée vous est bien connu. Nous en avons donné de fréquents témoignages. Il est, d'ailleurs, inhérent à Notre mission. Le maintien ou le rétablissement de la paix a toujours été et est de plus en plus l'objet de Notre constante sollicitude. Et si, trop souvent, les résultats ont été loin de répondre à Nos efforts et à Nos actes, l'insuccès ne Nous découragera jamais, tant que la paix ne régnera pas dans le monde. Fidèle à l'esprit du Christ, l'Eglise y tend et y travaille de toutes ses forces ; elle le fait par ses préceptes et par ses exhortations, par son action incessante, par ses incessantes prières.

Elle est, en effet, une puissance de paix, là du moins où on respecte et apprécie à leur valeur l'indépendance et la mission qu'elle tient de Dieu, là où l'on ne cherche pas à faire d'elle la docile servante des égoïsmes politiques, là où l'on ne la traite pas en ennemie. Elle veut la paix, elle fait œuvre de paix, et son cœur est avec tous ceux qui, comme elle, la veulent et s'y dévouent. Encore sait-elle, et c'est son devoir, discerner entre les vrais et les faux amis de la paix.

* Habita die 6 Aprilis mensis a. 1951.

Elle la veut, et pour cela elle s'applique à promouvoir tout ce qui, dans les cadres de l'ordre divin, naturel et surnaturel, contribue à assurer la paix. Votre Mouvement, Messieurs, s'attache à réaliser une organisation politique efficace du monde. Rien n'est plus conforme à la doctrine traditionnelle de l'Eglise, ni plus adapté à son enseignement sur la guerre légitime ou illégitime, surtout dans les conjonctures présentes. Il faut donc en venir à une organisation de cette nature, quand ce ne serait que pour en finir avec une course aux armements où, depuis des dizaines d'anneées, les peuples se ruinent et s'épuisent en pure perte.

Vous êtes d'avis que, pour être efficace, l'organisation politique mondiale doit être de forme fédéraliste. Si vous entendez par là qu'elle doit être affranchie de l'engrenage d'un unitarisme mécanique, ici encore vous êtes d'accord avec les principes de la vie sociale et politique fermement posés et soutenus par l'Eglise. De fait, aucune organisation du monde ne saurait être viable, si elle ne s'harmonise avec l'ensemble des relations naturelles, avec l'ordre normal et organique qui régit les rapports particuliers des hommes et des divers peuples. Faute de quoi, quelle qu'en soit la structure, il lui sera impossible de tenir debout et de durer.

C'est pourquoi Nous sommes convaincu que le premier soin doit être d'établir solidement ou de restaurer ces principes fondamentaux dans tous les domaines : national et constitutionnel, économique et social, culturel et moral.

Dans le domaine national et constitutionnel. Partout actuellement, la vie des nations est désagrégée par le culte aveugle de la valeur numérique. Le citoyen est électeur. Mais, comme tel, il n'est en réalité qu'une des unités, dont le total constitue une majorité ou une minorité, qu'un déplacement de quelques voix, d'une seule même, suffira à inverser. Au regard des partis, il ne compte que pour sa valeur électorale, pour l'appoint qu'apporte sa voix ; de sa place et de son rôle dans la famille et dans la profession, il n'est pas question.

Dans le domaine économique et social. Il n'y a aucune unité organique naturelle entre les producteurs, dès lors que l'utilitarisme quantitatif, la seule considération du prix de revient, est l'unique norme, qui détermine les lieux de production et la distribution du travail, dès lors que c'est la « classe », qui répartit artificiellement les hommes dans la société, et non plus la coopération dans la communauté professionnelle.

Dans le domaine culturel et moral. La liberté individuelle, affranchie de tous les liens, de toutes les règles, de toutes les valeurs objectives et sociales, n'est, en réalité, qu'une anarchie mortelle, surtout dans l'éducation de la jeunesse.

Tant qu'on n'aura pas affermi sur cette base indispensable l'organisation politique universelle, on risque de lui inoculer à elle-même les germes mortels de l'unitarisme mécanique. Nous voudrions inviter à y réfléchir, précisément du point de vue fédéraliste, ceux qui songent à l'appliquer par exemple à un parlement mondial. Autrement, ils feraient le jeu des forces dissolvantes, dont l'ordre politique et social n'a déjà que trop souffert; ils n'aboutiraient qu'à ajouter un automatisme légal de plus à tant d'autres qui menacent d'étouffer les nations et de réduire l'homme à n'être plus qu'un instrument inerte.

Si donc, dans l'esprit du fédéralisme, la future organisation politique mondiale ne peut, sous aucun prétexte, se laisser engager dans le jeu d'un mécanisme unitaire, elle ne jouira d'une autorité effective que dans la mesure où elle sauvegardera et favorisera partout la vie propre d'une saine communauté humaine, d'une société dont tous les membres concourent ensemble au bien de l'humanité tout entière.

Quelle dose de fermeté morale, d'intelligente prévoyance, de souplesse d'adaptation devra posséder cette autorité mondiale, nécessaire plus que jamais dans les moments critiques où, face à la malveillance, les bonnes volontés ont besoin de s'appuyer sur l'autorité! Après toutes les épreuves passées et présentes, oserait-on juger suffisantes les ressources et les méthodes actuelles de gouvernement et de politique? En vérité, il est impossible de résoudre le problème de l'organisation politique mondiale sans consentir à s'écarter parfois des chemins battus, sans faire appel à l'expérience de l'histoire, à une saine philosophie sociale, et même à une certaine divination de l'imagination créatrice.

Voilà, Messieurs, un vaste champ de travail, d'étude et d'action; vous l'avez compris et regardé bien en face; vous avez le courage de vous y dépenser; Nous vous félicitons, Nous vous exprimons Nos vœux de bons succès et Nous appelons de tout cœur sur vous et sur votre tâche les lumières et le secours de Dieu.

II

*Ad christifideles qui Romae convenerant ad beatificationem Servi Dei Francisci Antonii Fasani.**

Parlando dell'accoglienza che gli era stata fatta a Nazareth, Gesù diceva con un accento di tristezza: « *Non est propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua* ». Un profeta non è senza onore, fuorchè

* Habita die 18 Aprilis mensis a. 1951.

nella sua patria e in casa propria.[1] Egli stesso ha voluto, per incoraggiamento dei suoi discepoli, sperimentare la verità dolorosa di questo detto, non smentita che in ben rari casi. Il vostro Beato, diletti figli, che Noi abbiamo avuto il gaudio di elevare agli onori dell'altare, è stato una di queste eccezioni. Salvo alcuni anni dedicati alla sua formazione ecclesiastica e intelletuale, egli ha trascorso tutta la sua vita nella città natale. Il figlio e l'apostolo di Lucera è sfuggito così alla sorte comune, è stato sottratto alla regola generale: forse perchè egli era già distaccato da tutti gli allettamenti e gli appoggi umani, da tutte le piccolezze dell'amor proprio.

Egli rivendica a sè la sua condizione di figlio di un povero zappatore, lavoratore della gleba; contempla con amore, ringraziando Iddio, la misera casetta nativa, ch'egli ritrova rimasta in piedi nel crollo dei palazzi che un violento terremoto ha fatto cadere in rovina; non si stanca di ripetere che, se Colui il quale « solleva dalla polvere il misero »,[2] non lo avesse chiamato al suo servizio, sarebbe stato eguale a tutti i suoi congiunti, sarebbe andato, come loro, a tagliare la legna o a guardare i suini. Soprattutto con quale rispetto, con quale filiale tenerezza, alla porta del convento, ove la folla dei più bisognosi attende pazientemente dalla carità il quotidiano pasto frugale, egli porge la scodella della minestra calda alla madre, « la povera Isabella », che sta sulla soglia, mescolata al gruppo degli indigenti, come Maria attendeva Gesù dinanzi alla entrata della Sinagoga.

Ma « chi si umilia sarà esaltato ».[3] La stima, l'affetto, la venerazione lo circondano. Egli non ha bisogno di schermirsene. Come l'Apostolo, insensibile al caso che si fa di lui, questo umile sa mostrare la sua fermezza e sostenere il prestigio della autorità, che egli ha dal Signore e non dagli uomini. Egli si dà alla cura dei poveri, dei malati, dei carcerati; predica dai pulpiti, con non minor scienza teologica che semplicità comunicativa, la dottrina e la legge di Cristo; fa sentire il suo pugno di ferro nella riforma dei religiosi e nella restaurazione della osservanza regolare, congiungendo e dosando, ovvero alternando, secondo il bisogno, la severità e la dolcezza, senza detrimento della fortezza e della carità.

Quale poema sono gli ultimi giorni della sua santa vita! Un giro di visite alle famiglie a cui lo legano vincoli di gratitudine, e dalle quali vuol prendere l'estremo congedo; un supremo sforzo per alzarsi di notte,

[1] MATTH., 13, 57.
[2] *Ps. 112*, 7.
[3] LUC., 14, 11.

tremante per la febbre, affine di rispondere alla chiamata di un suo penitente gravemente infermo; una mattinata di confessioni; un'ultima giornata di fedeltà alla vita comune, e infine, sul letto ove lo mantiene l'ubbidienza, la serena preparazione prima di andare a render conto a Dio della sua vita e della sua missione.

Giunta per lui l'ora della ricompensa, l'umile e glorioso figlio di Lucera è acclamato, pianto, invocato da tutta la popolazione della sua città natale, senza distinzione di classe e di grado.

Più di due secoli sono trascorsi dal beato suo transito, senza che s'impallidisse la sua memoria. Possa essa vivere sempre nel vostro ricordo e anche più nella vostra fedeltà a imitare i suoi esempi, qualunque sia la condizione in cui voi dovrete svolgere la vostra attività. E intanto, implorando su di voi le più elette grazie divine, impartiamo di cuore a voi e a tutti i membri della vostra serafica Famiglia la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, successivis Decretis Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 10 Novembris 1950. — Titulari episcopali Ecclesiae Comanensi in Armenia praefecit R. P. Laurentium Sahag Koguian, e Congregatione Mechitaristarum Vindobonensi, Vicarium Generalem pro Dioecesi Patriarchali Ciliciae Armenorum.

die 13 Ianuarii 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Sinnensi R. P. Maximum Hermaniuk, e Congregatione Ssmi Redemptoris, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Basilii Vladimiri Ladyka, Exarchae Apostolici pro fidelibus ruthenis Manitobae in Canada.

die 24 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Erythritanae R. D. Ghebre Iesus Iacob, e clero saeculari ritus alexandrini-aethiopici, Administratorem Apostolicum pro fidelibus eiusdem ritus in Erythraea.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sozusensi in Lybia R. D. Hailé Maryam Cahsay, e clero saeculari ritus alexandrini-aethiopici, Administratorem Apostolicum christifidelium in Aethiopia residentium.

die 10 Martii. — Novo constituto Exarchatui Apostolico pro fidelibus ruthenis Provinciae Saskatchewan in Canada tamquam primum Apostolicum Exarcham deputavit Exc. P. D. Andream Roborecky, Episcopum Titularem Tanaitanum, hactenus Auxiliarem Exc. P. D. Basilii Vladimiri Ladyka, Exarchae Apostolici fidelium ruthenorum Canadae Centralis.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

LEOPOLDOPOLITAN.

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM VICARIATUUM APOSTOLICORUM

Cum ob territorii Vicariatus Apostolici Leopoldopolitani, Congregationi Immaculati Cordis Mariae concrediti, divisiones per tempora peractas districtus urbis, in qua Ordinarius residet, a reliquo territorio ad ipsum Vicariatum pertinente, separatus mansisset cumque limites Vicariatus ecclesiastici civilibus distructum limitibus non amplius responderent, visum est Sacrae huic Congregationi de Propaganda Fide incommodis, quae memoravimus, remedium afferre.

Itaque Emi ac Revmi Patres Cardinales eiusdem S. Consilii regimini praepositi, in plenariis comitiis, die 22 Maii huius anni habitis, cum rem mature perpendissent, a Vicariatu Apostolico de Koango et a Vicariatu Apostolico de Kisantu, Societati Iesu commissis, parvam portionem, in occidentali eorundem Vicariatuum parte sitam, item a Vicariatu Apostolico de Coquilhatville, Missionariis Sacratissimi Cordis Iesu concredito, exiguam territorii linguam in meridionali parte, ad occidentalem versus, eiusdem Vicariatus sitam, ita distrahendas et Vicariatui Apostolico Leopoldopolitano adnectendas esse censuerunt, ut huius limites in illis territorii partibus cum Vicariatibus, quos diximus, deinceps hi haberentur: quoad *Vicariatum Apostolicum de Koango* spectat: cursus fluminis Likulu ex sua confluentia cum flumine Kasai usque ad suas scaturigines; exinde linea recta usque ad scaturigines fluminis Tua; inde linea recta usque ad fontes fluminis Dweme, quod ortum ducit prope limitem Vicariatus Apostolici de Kisantu; quoad *Vicariatum Apostolicum de Kisantu* spectat: e fontibus fluminis Mfuna, ubi Vicariatus Leopoldopolitanus Vicariatum de Matadi tangit, linea recta ab occidente ad orientem versus usque ad confluentiam fluminis Ndjili et fluminis Didingi; dein cursus huius postremi fluminis; exinde ex istius fontibus linea recta usque ad confluentiam fluminum « Black-River » et Lumene; illinc linea recta usque ad scaturigines fluminis Dweme, usque ad novos limites cum Vicariatu de

Koango; quoad *Vicariatum Apostolicum de Coquilhatville* spectat: a loco intersectionis primi gradus latitudinis australis cum gradu 18°9' longitudinis orientalis, a capite rivuli Lonkoi septemtrionem versus, linea recta usque ad confluentiam rivuli Pili cum rivulo Londo; dein cursus rivuli Londo usque ad eiusdem scaturigines; inde rivulus Loole usque ad locum ubi confluit cum rivulo Lonkoi maiore et rivulo Dwali; inde, orientem versus, cursus Dwali integer; dein a fontibus rivuli Dwali linea ducta per caput rivulorum Mokondu et Ipeke, usque ad fontes rivuli Botifili, unde fines praesentes communes Vicariatuum, de quibus agitur, inveniuntur.

Quam Eñorum Patrum sententiam Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide, de mandato SSñi D. N. Pii Div. Prov. Pp. XII, vigore scilicet facultatum sibi ab Eodem specialiter concessarum, ratam habuit et confirmavit praesensque ad rem Decretum fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 24 Maii anno Iubilaei 1950.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis Decretis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando, Ssñus Dñus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum:

die 1 Decembris 1950. — Titulari episcopali Ecclesiae Cerbalitanae R. P. D. Ioannem Baptistam Cesana, Congregationis Filiorum S. Cordis Iesu praefecit, quem constituit Vicarium Apostolicum Guluensem.

die 23 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Niciotanae R. P. D. Alphonsum Streit, Congregationis Missionariorum de Mariannhill, quem constituit Vicarium Apostolicum de Mariannhill.

— Titulari episcopali Ecclesiae Nasaitensi R. P. D. Adulphum Schmitt, Congregationis Missionariorum de Mariannhill, quem constituit Vicarium Apostolicum de Bulawayo.

— Cathedrali Ecclesiae Hyderabadensi R. P. D. Alphonsum Beretta, Instituti Pontificii a Ss. Apostolis Petro et Paulo et a Ss. Ambrosio et Carolo pro missionibus ad exteras gentes sodalem.

die 11 Ianuarii 1951. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Cyrrhensi Exc. P. D. E. N. Michaëlem O'Brien, hactenus Episcopum tit. Alindensem.

III

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis, Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit:

die 27 Octobris 1950. — R. P. Franciscum Carroll, Societatis Missionum ad Afros, *Praefectum Apostolicum Capitis Palmensis.*

— R. P. Patritium Iosephum Antonium Danton, O. E. S. A., *Praefectum Apostolicum Yolaënsem.*

— R. P. Henricum Vallejo, Congregationis Missionis sodalem, *Praefectum Apostolicum de Tierradentro.*

— R. P. Gratianum Martinez, e Congregatione Missionis, *Praefectum Apostolicum Araucensem.*

die 7 Decembris. — R. P. Iosephum Gerardum Grondin, e Societate de Maryknoll pro missionibus exteris, *Praefectum Apostolicum Musomensem.*

die 5 Ianuarii 1951. — R. P. Salvatorem Martinez Aguirre, S. I., *Superiorem ecclesiasticum Tarahumarensem.*

die 26 Ianuarii. — R. P. Gulielmum Kupfer, Societatis de Maryknoll pro missionibus exteris, *Praefectum Apostolicum Taichungensem.*

IV

DESIGNATIO PRO APPELLATIONE

Iuxta Can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici Archiepiscopus Calcuttensis pro causis in secunda instantia suae Archidioecesis designavit Tribunal dioecesis de Ranchi. Quam designationem Ssmus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 4 mensis Ianuarii 1951 approbavit.

V

APPROBATIO CONSTITUTIONUM

Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 18 mensis Decembris 1950 Constitutiones Sororum Visitationis a Sancta Maria in Iaponia definitive approbatae sunt.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

CONSTANTIEN. ET ABRINCEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI PLACIDAE VIEL, SECUNDAE SUPERIORISSAE GENERALIS INSTITUTI SCHOLARUM CHRISTIANARUM A MISERICORDIA.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

S. Ioannes Baptista Vianney de Instituto Scholarum Christianarum a Misericordia loquens, haec dixit: « Institutum hoc a Sancta Maria Magdalena Postel conditum est, et Superiorissa quae modo ei successit magno gressu eius vestigia premit ». Venerabilem Placidam Viel hac laude illustrare voluit Sanctus Parochus, quia Servae Dei virtutes eiusque sanctitatis fama late iam tunc vulgatae erant. Iudicium hoc a Sacra hac Congregatione et a Summo Pontifice Pio XII plene confirmatum est decreto die 9 Februarii anno 1941 edito, quo heroicae Venerabilis Placidae virtutes recognitae sunt. Nec satis. Ipse enim Deus intercessionem Servorum Suorum, qui ad eius gloriam totis animi viribus procurandam heroice adlaborarunt, gratam habens, saepe miracula patrare dignatur, quasi de eorum virtutibus testimonium reddens.

Hoc de Venerabili Placida Viel evidenter comprobatur. Plures enim seu gratiae seu miracula eius interventu obtenta feruntur, ex quibus duae sanationes a causae actoribus exhibitae sunt, quae uti vera miracula, iuridice recognita, per hoc decretum, ad Beatificationem obtinendam, nunc promulgantur.

I. Soror Simpliciana ex Instituto Scholarum Christianarum a morbo Pottiano cervico dorsuali fuit attacta. Morbus eam per plures annos afflixit. Incassum multiplicibus curationibus cedentibus, Simpliciana ex oboedientia quotidie ad Venerabilis sepulcrum in Ecclesia Abbatiae « St. Sauveur-le-Vicomte » situm, ubi ipsa morabatur, accedebat et pro sua sanatione orabat. Tota quoque religiosa familia Venerabilis patrocinium implorabat. Sexies novendiales preces Simpliciana effudit, sub finem extemplo sanata perfecte et perseveranter est, nocte inter diem quartum Octobris et quintum anno 1921.

Cum medentes tum officiales periti, medicumque nostrae Congregationis Collegium plene conveniunt in diagnosi, infausta prognosi atque in fatendo sanationem naturae vires excessisse.

II. Pottiano quoque morbo Maria Lepaulmier Vidua Minot fuerat affecta. Ab anno 1906 per viginti annos morbus eam cruciavit. Quatuor saltem vertebrae a tuberculari carie fuerant corrosae. Quare cogebatur orthopaedico uti thorace ut domesticis curis quoquo modo posset attendere. Cum nulla superfuisset sanationis spes, Maria tandem cum aliis Venerabilis Viel patrocinium imploravit. Die 13 Ianuarii 1926 Maria sanata se sentit, sequenti die thoracem orthopaedicum exuit, baculum deponit, ad parochialem domum loci Postbal, longe duo fere chilometra, pedibus, via nive cooperta, agilis et sine lassitudine accedit, omnia domestica officia resumit, post bimestre, pariter pedibus ad Venerabilis sepulcrum, in Abbatia S. Salvatoris situm, quatuordecim longe chilometra a Sua domo, pergit. In recuperata valetudine perseveravit, uti comprobatur technica inspectione duodecim post annos peracta. Periti ex officio, Collegium medicum plene conveniunt cum medentibus in diagnosi atque reservata quod ad sanationem prognosi.

Apostolici processus super utraque mira sanatione in Constantiensi dioecesi constructi fuere pro quorum iuridica vi die 18 Aprilis anno 1928 et 24 Ianuarii 1940 edita fuere decreta.

Medicum nostrae Congregationis Collegium de utraque sanatione die 13 Maii anno 1949 pertractavit; Praeparatoria Congregatio die 18 Aprilis anteacti anni coacta fuit; Generalis demum coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 20 Februarii anni huius, in qua Rmus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens dubium posuit disceptandum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati ac Patres Consultores suum quisque protulit suffragium. Beatissimus vero Pater, his attente auscultatis, supremam sententiam noluit statim ferre, sed adstantes ut Secum Deum, luminum Patrem, enixis precibus exorarent est hortatus, ne a divino placito in iudicando vel minime discederet.

Dominicam hanc, sacrae Quadragesimae quartam, selegit ut rem definiret. Quare Rmos Cardinales Alexandrum Verde Causae Ponentem atque infrascriptum, S. R. C. Pro-Praefectum, nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei generalem Promotorem meque Secretarium arcessivit, Sacraque Hostia pientissime Deo oblata, edixit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Simplicianae a morbo Pottiano*

cervico dorsuali, tum Mariae Lepaulmier Viduae Minot a morbo Pottiano dorso-lumbari.

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 4 Martii, Dominica *Laetare,* a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

II

LUGDUNEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS MARIAE VICTORIAE TERESIAE COUDERC, CONFUNDATRICIS SOCIETATIS DOMINAE NOSTRAE A RECESSU COENACULI.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

« Humilis dicitur Christus, scribit S. Laurentius a Brundusio, quia nihil sibi arrogat, nihil sibi tribuit, sed omnia Patri... hinc vitam humillimam duxit in mundo... cum omnibus humillime conversabatur, neminem contemnebat, neminem aspernabatur; *humilis corde* (Mt., 11, 20), quia cum esset aequalis Deo, humiliavit semetipsum usque ad mortem crucis. Humilitatem autem et mansuetudinem... proponit, ut imitemur, quoniam humilitas et mansuetudo veluti bases et fundamenta sunt omnium virtutum » (vol. IX, 180-181).

Venerabilis Maria Victoria Teresia Couderc omnibus plene refulsit virtutibus, sed plenissime humilitate ac mansuetudine, praesertim quando plures per annos veluti segregata a societate, in humillima officia incumbens, vitam duxit *absconditam cum Christo in Deo.*

Quae condicio, licet mundi oculis abiecta forte videretur, pretiosa fuit in Societatis bonum ob merita, quae Venerabilis Mater tunc lucrata est, quae super Institutum ingentes benedictiones et beneficia a Divino Corde attraxit, unde eius propagatio per orbem, uberrimique fructus in animorum salutem obtenti.

Verum divina munificentia erga Suam Famulam evidenter quoque se ostendit, eius gloriam fovendo apud fideles ut novum sanctitatis exemplar admirentur et imitentur. Et sane; post eius pretiosam mortem,

quae die 26 Septembris anno 1885 contigit, servatis omnibus de iure servandis, non modo Beatificationis causa introducta est, sed etiam heroicae virtutes die 12 Maii 1935 approbatae fuere.

Nunc autem duae mirae sanationes Sacrae huic Congregationi exhibitae sunt, quae uti vera miracula a Deo patrata sunt habendae, Venerabilis Couderc interventione implorata.

I. Maria Antonia Froppier gravissima cheratoconiunctivite ulcerosa lymphatica recidivante cum gravibus myopicis perturbationibus laevi oculi, quae fere ad caecitatem eam adduxerant, fuit attacta. Infirma novem supra triginta annos oculorum morbo laboraverat, ob quem dexter oculos chirurgice fuit effossus.

In hac condicione versata est usque ad sanationem. Ad nihilum cedentibus iteratis medicis curationibus, ingeminatae preces, Venerabilis patrocinium implorantes, effusae sunt. Die 12 Octobris 1947 in instanti infirma perfecte sanata est. Novem medici e nostro Collegio plene concordant in diagnosi, prognosi, quod ad sanationem infausta, atque sanatione naturae vires excedente, perfecta et perseverante.

II. Secunda sanatio Sororem Hyginiam Maranzana respicit, e Societate a Venerabili condita.

Haec apoplectiformi comate fuit affecta, quod ad imminens mortis limen medicorum iudicio eam die 13 Ianuarii anno 1948 adduxerat.

Invocata a consororibus tum fuit Venerabilis Couderc intercessio. Nocte ineuntis 14 diei infirma perfecte sanata est a comate omnibusque aliis morbi adiunctis, uti medentes ceterique testes affirmant. Nostrum medicum Collegii iudicium de diagnosi, infausta prognosi atque sanatione naturae vires excedente a medente editis plene ac concorditer confirmat.

In Curiis Lugdunensi anno 1949 pro prima, Taurinensi eodem anno pro altera sanatione constructi sunt processus, pro quorum iuridica vi die 6 Novembris anno 1949 latum est decretum.

De utraque sanatione medicum Collegium die 30 Martii mensis a. 1950 pertractavit.

Praeparatoria Congregatio die 14 Novembris eiusdem anni, Generalis vero, coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 20 Februarii huius anni coacta est, in qua infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus Causaeque Ponens, dubium posuit discutiendum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suffragium ediderunt. Beatissimus vero Pater rem coram Deo perpendere volens, adstantium quoque preces quasi in auxilium petivit, ut apertius Dei beneplacitum Ipsi patefieret.

Porro Dominicam hanc, *Laetare,* quartam Sacrae Quadragesimae selegit, ut supremum in re ederet iudicium.

Quapropter Cardinalem infrascriptum, R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem generalem meque Secretarium vocavit atque, Missae sacrificio religiose celebrato, edixit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Mariae Antoniae Froppier a gravissima cheratoconiunctivite ulcerosa lymphatica recidivante cum gravibus myopicis perturbationibus laevi oculi, tum Sororis Hyginiae Maranzana a letali comate apoplectiformi.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 4 Martii, Dominica *Laetare,* a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius.*

III

LUCERINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI FRANCISCI ANTONII FASANI, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, Tuto *procedi possit ad sollemnem Venerabilis Francisci Antonii Fasani Beatificationem.*

Summa christianae perfectionis ratio est imitari, dum vivimus, quantum humana sinat natura, divinum exemplar D. N. I. C. quo perfectius ipsius gloriae in caelo conformes efficiamur, docente Apostolo: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... quos autem praedestinavit hos et vocavit, et quos vocavit, hos et iustificavit, quos autem iustificavit, illos et glorificavit* (Rom., 8, 29, 30). Deus autem caelesti quidem gloria omnes Servos suos remuneratur, nonnullos vero inscrutabili suo consilio, ex iis qui in heroicis eminuerunt virtutibus, ad exemplum, ad incitamentum atque ad consolationem iustorum, in mundo quoque extollit atque decorat.

Franciscus Antonius Fasani, ex inclito Minorum Conventualium Ordine, virtutibus omnibus, quae Fratrem Minorem decent, claruit, insigni praesertim erga Beatam Virginem pietate. Ipse enim, uti de seraphico Patriarca scribit S. Bonaventura: « Paupertatis professor, « paenitentiae forma, veritatis praeco, sanctitatis speculum et totius « evangelicae perfectionis exemplar, superna praeventus gratia, ordi- « nato progressu ab infimis pervenit ad summa » (Leg. mai., XIII, 1).

Quod Venerabilis ad summa pervenerit, iuridice ex toto iudiciali ordine, ab Apostolica Sede in huiusmodi causis praescripto et perfecte servato, evidenter constat.

Venerabilis enim Luceriae in Apulia a. 1681 natus, anno vix quintodecimo Fratrum Minorum Conventualium Ordini se adiunxit; sanctoque fine die 29 Novembris a. 1742 quievit. Sanctitatis fama erumpente, Ordinaria auctoritate inquisitiones peractae sunt, atque Beatificationis causa a Gregorio Papa XVI a. 1832 fuit introducta. Apostolici processus super virtutibus et super miraculis fuere constructi felicique exitu. Quare die 21 Iunii anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo Leo XIII fel. rec. heroicas Servi Dei virtutes approbavit. Ssmus vero D. N., Pius PP. XII, die 4 huius mensis et anni duo miracula eo intercedente a Deo patrata recognovit.

Quum itaque omnia de iure servanda plene fuerint servata, ut de hoc iuridice constaret, in Generali Congregatione die 13 mensis huius coram Summo Pontifice habita, Rmus Cardinalis Alexander Verde, causae Ponens, dubium discutiendum proposuit: *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Beatificationem.*

Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores unanimiter responderunt: *Affirmative.* Beatissimus vero Pater preces esse iterandas dixit, ut divinum beneplacitum agnosci possit, antequam ad supremam edendam sententiam Ipse procederet. Subsignatum diem ad hunc finem selegit.

Quare ad Se Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente, atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali meque Secretario arcessitis, Sacrosancto Missae Sacrificio pientissime litato, edixit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis Francisci Antonii Fasani Beatificationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari, et in acta S. R. C. referri; Apostolicas quoque Litteras sub anulo Piscatoris de Beatificationis sol-

lemnibus in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 27 Martii a. D. 1951.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

IV

AQUEN.

CANONIZATIONIS B. MARIAE DOMINICAE MAZZARELLO, VIRGINIS, CONFUNDATRICIS INSTITUTI FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Ineffabili miserentis Dei consilio factum est, ut dum, anteacto saeculo mediante, impii satanico odio homines a Deo avertere, eorumque intellegentias moresque corrumpere totis viribus moliuntur, Ipse ex Ecclesiae sinu viros ac mulieres suscitaret, qui sanctae vitae exemplo, verbo ac multiformi actione tot malis se opponerent totque ruinas reparārent.

Insignem porro prae ceteris suscitavit virum, S. Ioannem Bosco, cui *dedit sapientiam et prudentiam multam nimis et latitudinem cordis, quasi arenam quae est in littore maris* (3 Reg. 4, 29). Hic primum per se, postea per suos filios plura puerorum centena milia a saeculi contagione indemnia servavit pluresque ad christianam perfectionem adduxit. Ne autem puellae simili beneficio carerent, non absque divino instinctu Mariam Dominicam Mazzarello S. Ioannes selegit, quia in ea qualitates inspexit, quae eam aptam ad tantum opus prudenter ac sapienter iudicavit.

Mira enim simplicitate, mira humilitate, sui despectu, singulari prudentia ceterisque virtutibus ditata, digna quae non modo Filiarum Mariae Auxiliatricis Institutum regeret, sed vere confundatrix atque sancti fundatoris aemula sit habenda. Re sane vera post eius pretiosam mortem, quae die 14 Maii anno 1881 contigit, Sanctitatis fama tam vivax erupit, ut servatis de iure servandis Beatificationis gloria die 20 Novembris 1938 fuerit honestata. Nec satis; eius enim interventione

duo a Deo patrata sunt miracula, quae ad eius Canonizationem viam sternunt. Breviter hic exponuntur:

I. Soror Maiorina Avalle ex Instituto Filiarum Auxiliatricis, medicorum iudicio, a morbo phlogistico suppurativo subacuto recidivante affecta fuit in abdomine. A quo morbo, eorumdem iudicio, sine chirurgica actione ipsa nullo modo convalescere poterat. Hisce in adiunctis Maiorina quae in oppidum « Roppolo » biennio ante se contulerat, extremis Ecclesiae Sacramentis fuit roborata. Ferventiores preces ad Beatae Mariae Dominicae Mazzarello interventionem obtinendam effudit. Die decima quarta Augusti anni 1941 in graviori condicione versabatur. Verum post mediam noctem, renovatis cum infirmarum ministra precibus, paululum obdormivit. Expergefacta, perfecte sanatam se esse advertit, quod Soror ministra verum esse recognovit primis horis sequentis diei, 15 Augusti. Sanationem naturae vires excedere medens, testes omnes, periti ex officio, Collegiumque medicum fatentur.

II. Puerulam Carolam Ramponi in oppido Castano in Bugellensi dioecesi commorantem, unanimi cum medentium tum officialium peritorum atque medici nostrae Congregationis Collegii sententia, acuta nephrites cum gravi urhaemia ad mortis limen adduxerat, adeo ut Extrema Unctio ei fuerit die 24 Novembris anni 1945 collata.

Fusis pro sanatione precibus, implorato B. Mariae Dominicae Mazzarello patrocinio, de cuius reliquiis particula infirmae capiti est supposita, hora 18 eiusdem diei, puella a nephritis symptomatis fuit exempta, dieque sequenti a ceteris morbi consectariis. In recuperata valetudine perseveravit, uti periti physici anno 1948 recognoverunt. Medentes, testes omnes, officiales Periti, maximaque medici Collegii pars naturae vires ad sanandam puellam impares affirmant.

Super his sanationibus in Bugellensi pro prima, in Mediolanensi Curia pro altera Apostolici confecti sunt processus, pro quorum iuridica vi die 6 Februarii anno 1949 editum est decretum.

De utraque sanatione idem medicum Collegium die 10 Octobris mensis anno 1949 disceptavit.

Praeparatoria Congregatio die 14 Martii elapsi anni habita est, Generalis demum coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 13 mensis huius; in qua Rmus Cardinalis Alexander Verde, Causae Relator, dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.*

Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum quisque protulit suffragium; Beatissimus vero Pater, sententiam edere aliquantisper distulit, volens, effusis precibus, rem coram Domino per-

pendere. Diem hunc autem selegit, tertiam feriam post paschalia gaudia, ut supremum decretum panderet.

Quocirca Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Generali Promotore, meque Secretario arcessitis, divino sacrificio eximia pietate celebrato, edixit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Maiorinae Avalle a morbo phlogistico suppurativo subacuto recidivante in abdomine, clinice insanabili, tum puellae Carolae Ramponi a nephrite acuta cum gravi urhaemia.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Martii a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

V

MASSILIEN.

CANONIZATIONIS B. AEMILIAE DE VIALAR, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM S. IOSEPH AB APPARITIONE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Quo magis seu malitia seu humana inscitia aliquem Dei Servum deprimere, dum vivit, conatur, eo magis a Deo is exaltatur, semper quidem post eius mortem, saepe quoque dum adhuc in mundo versatur. Beata Aemilia de Vialar, quae apostolico exardescens zelo, se suaque omnia ad Dei notitiam et gloriam dilatandam generose impenderat, immo eodem fine Institutum Sororum S. Ioseph ab Apparitione condidit, quas in dissitas quoque regiones inter infideles miserat, difficile dictu est quot, in hoc quoque opere moliendo, molestias, quot angores, quot calumnias, quot fraudes, quibus in pauperiem fuit redacta, sustinuerit. Verum haec omnia virili animo, Deo confisa tulit ac superavit, mira virtutum omnium, patientiae praesertim, humilitatis et caritatis exempla proferens.

Quae virtutes, post eius felicem exitum, qui a. 1856 evenit, Beatificationis honores die 18 Iunii a. 1939 ei compararunt. Nec hic divina

munificentia suae Famulae meritis vicem reddere constitit. Ad altiora enim eam Deus vocare videtur; duo namque miracula, prae ceteris quae eius interventu post beatificationem Ipse patravit, seduli actores ad Canonizationis honores ei comparandos Sacrae huic Congregationi exhibuerunt, quae in decreto hoc referuntur.

I. Soror Teresia Moran ex Instituto a Beata condito diffusa sclerosi fuit attacta. Quum nullum medicum remedium efficax evasisset Beatae Matris interventionem infirma Sororesque ferventibus precibus imploravere. Has preces Beata Aemilia exaudivit, atque miraculum a Deo pro sua Filia obtinuit. Soror enim Teresia die 10 Martii a. 1946 in instanti a gravissimo hoc morbo convaluit perfecte atque perseveranter, uti periti physici, aliique testes affirmant.

II. Soror Maria Brendan pottiano laborabat morbo, qui unam vertebram destruxerat duasque alias graviter corroserat. Incassum adhibita remedia cesserunt, adeo ut medentes de infirmae salute desperaverint. Suppliciter tum Beatae praesidium est invocatum; die vero 24 Octobris mensis a. 1943 Soror puncto temporis perfecte sanata est; quae sanatio persistit, uti periti a. 1949 recognoverunt atque ceteri testes asseverant.

De utraque hac sanatione in Salopiensi Curia Episcopali pro prima, in Massiliensi pro altera, constructi sunt Apostolica auctoritate processus, pro quorum iuridica vi die 2 Ianuarii a. 1949 decretum est editum. Diebus 11 Iulii ac 21 Novembris eodem anno Medicum Nostrae Congregationis Collegium de utraque sanatione pertractavit, recognovitque has sanationes praeter naturae leges evenisse. Die 28 Martii elapsi anni Praeparatoria Comitia coacta fuerunt, Generalis vero die 13 mensis huius coram Ssmo D. N. Pio PP. XII, in quibus Rmus Cardinalis Fridericus Tedeschini, Causae Ponens, dubium posuit disceptandum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores quid de ambabus sanationibus sentirent libere aperuerunt.

Beatissimus vero Pater supremam sententiam edere aliquantisper supersedit, ut gravem hanc rem coram Deo perpenderet, adstantes quoque eodem fine preces fundere hortatus.

Diem itaque hunc selegit ut Suum proferret iudicium. Advocatis igitur Rmis Cardinalibus Friderico Tedeschini, Causae Ponente atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Generali Promotore meque Secretario, divina Hostia sancte oblata, edixit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione, Beata*

Aemilia De Vialar intercedente, cum Sororis Teresiae Moran, a diffusa sclerosi, tum Sororis Mariae Brendan a tuberculari spondylite dorsuali.

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Martii a. D. 1951.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

VI

CONSTANTIEN. ET ABRINCEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI PLACIDAE VIEL, SECUNDAE SUPERIORISSAE GENERALIS INSTITUTI SCHOLARUM CHRISTIANARUM A MISERICORDIA.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad eiusdem Venerabilis sollemnem Beatificationem.*

Exsultat in caelo Sancta Maria Magdalena Postel, quae dilectam filiam Placidam Viel, suarum virtutum aemulam, quaeque in conditi Instituti regimine prima ei successit, in similem, ac suam, gloriam in mundo videt properare: exsultant Sanctae Matris Filiae, quae honore, quo Venerabilis Placida proxime est afficienda, divinam erga suum Institutum voluntatem atque iudicii confirmationem a se de eadem lati, admirantur, quam, ob morum suavitatem et in regendo humanitatem, Bonae Matris titulo decorabant.

Iure autem merito hoc titulo Venerabilis decorabatur, quia omnium virtutum splendore coruscabat.

« Instar columbae candidae » die 4 Martii a. 1877 ad superos evolavit. Sanctitatis fama erumpente, ordinariaque auctoritate canonicis inquisitionibus in Constantiensi Curia peractis; Pius Papa XI fel. rec. die 22 Iulii anno sacro 1925 Commissionem Introductionis Causae obsignavit. Apostolicis processibus consummatis, servatisque de iure servandis, die 9 Februarii a. 1941 Ssm̃us D. N. Pius Papa XII heroicas virtutes, die autem 4 mensis huius duo miracula a Deo patrata approbavit.

Reliquum erat, ut, ad Beatificationem procedi posset, in Generali Congregatione coram Summo Pontifice Rm̃i Cardinales, Officiales Prae-

lati Patresque Consultores suum panderent consilium. Dubium igitur: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad eiusdem Venerabilis sollemnem Beatificationem,* in Generali S. R. C. coetu die 13 huius mensis a Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, fuit propositum, cui omnes unanimi consensu affirmativum tulerunt suffragium. Beatissimus vero Pater Suum edere iudicium distulit, ut, ingeminatis precibus, divino in re tanti momenti lumine illustraretur.

Feriam hanc tertiam post Paschalia gaudia selegit ut supremam ferret sententiam.

Quapropter Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Generali Promotore meque Secretario accitis, Sanctoque Eucharistico Sacrificio pientissime litato, edixit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis Placidae Viel Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Apostolicas quoque Litteras sub anulo Piscatoris de sollemnibus Beatificationis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 27 Martii a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (SOFIO - PES DI VILLAMARINA)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini Caroli Pes di Villamarina, conventi in causa, eundem citamus ad comparendum sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 1 Augusti 1951, hora duodecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An sententia Rotalis diei 15 Iulii 1950 confirmanda vel infirmanda sit in casu.

Ordinarii locorum, parochi sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Caroli Pes di Villamarina curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.*

Arcturus Wynen, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 14 Aprilis 1951.

Ovidius Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Charles Pes di Villamarina, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 1 août 1951, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence Rotale du 15 juillet 1950 dans cette cause?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Charles Pes di Villamarina devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

27 aprile 1951. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Membro del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

30 » » Il Revmo Padre Halusczynskyj, dell'Ordine Basiliano di San Giosafat, *Consultore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

21 luglio 1949. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore delle Suore Scolare di Graz del Terz'Ordine di San Francesco* (Austria).

15 settembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Cappuccine del Terz'Ordine Francescano della Madre del Divin Pastore* (Barcellona).

9 gennaio 1950. S. E. Revma Monsig. Taffi Antonio, *Nunzio Apostolico in Honduras e Nicaragua.*

11 maggio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tedeschini Federico, *Protettore delle Suore « Siervas de San José »* (Salamanca).

24 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Piccole Francescane di Maria* (Québec).

18 giugno » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore dei Missionari della Santa Famiglia* ('s-Hertogenbosch).

25 luglio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Religiose Francescane della Vergine Immacolata* (Pasto).

24 agosto » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Pro-*

tettore delle Religiose dell'Apostolato del Sacro Cuore di Gesù (Avana).

29 agosto 1950. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Aloisi Masella Benedetto, *Protettore delle Suore della Santa Vergine e di Santa Caterina* (Warmia).

22 settembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tedeschini Federico, *Protettore delle « Religiosas Filipenses »* (Barcellona).

30 ottobre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Aloisi Masella Benedetto, *Protettore delle Suore dell'Immacolata Concezione della Beata Vergine Maria* (Varsavia).

4 novembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale van Roey Giuseppe Ernesto, *Protettore delle Religiose di Santa Giuliana, Apostoline del SS. Sacramento* (Bruxelles).

» dicembre » Il Revmo Sac. Fontana Gatells Raimondo, *Uditore del Tribunale della S. Rota presso la Nunziatura Apostolica di Madrid.*

12 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore dei Fratelli di Nostra Signora di Lourdes* (Gand).

19 » » S. E. Revma Monsig. Burzio Giuseppe, *Nunzio Apostolico in Cuba.*

20 » » L'Illmo e Revmo Monsig. Callori di Vignale Federico, *Pro-Maestro di Camera di Sua Santità.*

22 » » S. E. Revma Monsig. Pignedoli Sergio, *Nunzio Apostolico in Bolivia.*

12 gennaio 1951. S. E. Revma Monsig. Venini Diego, *Elemosiniere Segreto di Sua Santità.*

13 » » Il Revmo Padre Browne Michele, O. P., *Maestro del Sacro Palazzo Apostolico.*

» » » S. E. Revma Monsig. van Lierde Canisio, *Sacrista di Sua Santità e Vicario Generale della medesima Santità Sua per la Città del Vaticano.*

26 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Vicario Generale di Sua Santità per la città di Roma e distretto.*

29 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Massimi Massimo, *Protettore delle Religiose « Figlie del Calvario »* (Messico).

6 febbraio 1951. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Canali Nicola, *Protettore dell'Almo Collegio Capranicense* (Roma).

24 febbraio 1951. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Figlie del Cuore di Maria* (Parigi).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore della Congregazione del Sacro Cuore di Gesù Bambino* (Marsiglia).

1 marzo » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore del Terz'Ordine Regolare di San Francesco* (Roma).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Giovanni Adeodato, *Protettore delle Suore dell'Immacolata* (Genova).

8 » » L'Illmo e Revmo Monsig. Ercole Pietro, *Prelato Chierico della Reverenda Camera Apostolica*.

9 » » S. E. Revma Monsig. Muench Luigi Giuseppe, *Nunzio Apostolico in Germania*.

10 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Prefetto della Sacra Congregazione Ceremoniale*.

13 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Aloisi Masella Benedetto, *Protettore delle Suore della Sacra Famiglia* (Cesena).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Fumasoni Biondi Pietro, *Protettore delle Suore del Buon Samaritano* (Sydney).

9 aprile » S. E. Revma Monsig. Vagnozzi Egidio, *Nunzio Apostolico nella Repubblica delle Filippine*.

Assistenti al Soglio Pontificio:

23 aprile 1948. S. E. Revma Monsig. Huwiler Burcardo, Vescovo titolare di Vazari.

11 febbraio 1949. S. E. Revma Monsig. Chávez y Gonzales Luigi, Arcivescovo di San Salvador.

20 settembre 1950. S. E. Revma Monsig. Fitzmaurice Edmondo J., Vescovo di Wilmington.

7 novembre » S. E. Revma Monsig. Schlarman Giuseppe Enrico, Vescovo di Peoria.

» dicembre » S. E. Revma Monsig. Finbarro Ryan Patrizio, Arcivescovo di Porto di Spagna.

19 gennaio 1951. S. E. Revma Monsig. Traglia Luigi, Arcivescovo titolare di Cesarea di Palestina.

25 » » S. E. Revma Monsig. Pezzullo Federico, Vescovo di Policastro.

12 febbraio » S. E. Revma Monsig. Bonomini Felice, Vescovo di Como.

30 marzo 1951. S. E. Revma Monsig. Gagnor Giuseppe Pietro, Vescovo di Alessandria.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

22 luglio 1947. Monsig. Rodriguez Molina Angelo Custode, della diocesi di Valparaiso.
15 settembre 1948. Monsig. Rasera Vittorio, della diocesi di Ugento.
31 ottobre 1949. Monsig. Wroblewski Boleslao, della diocesi di Czestochowa.
15 aprile 1950. Monsig. O'Grady Guglielmo, della diocesi di Bretwood.
4 maggio » Monsig. Aviña Ruiz Narciso, dell'arcidiocesi di Guadalajara.
19 luglio » Monsig. Piossek Luigi, della diocesi di Berlino.
25 » » Monsig. Reidy Giacomo B., della diocesi di Peoria.
» » » Monsig. Gilbert Eduardo A., della diocesi di Steubenville.
19 agosto » Monsig. Dangin Edoardo V., dell'arcidiocesi di New York.
» » » Monsig. Dineen Luigi C., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Furlong Filippo J., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Gaffney Edoardo R., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. McCaffrey Giuseppe A., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Nelson Giuseppe A., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. O'Donnell Giovanni J., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Scanlan Arturo J., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Walsh Francesco W., della medesima arcidiocesi.
28 » » Monsig. Tierney Taddeo W., della medesima arcidiocesi.
12 settembre » Monsig. Phelan Francesco L., dell'arcidiocesi di Boston.
7 ottobre » Monsig. Garçia Feito Bellarmino, dell'arcidiocesi di San Cristoforo dell'Avana.
» » » Monsig. Bozic Giovanni, della diocesi di Ragusa.
» » » Monsig. Frondosa Antonio, della diocesi di Jaro.
21 » » Monsig. Liguori Loreto, della diocesi di Aversa.
» » » Monsig. Carotenuto Alberto, della medesima diocesi.
24 » » Monsig. Fearns Giovanni M. A., dell'arcidiocesi di New York.
9 novembre » Monsig. Ehardt Giorgio C., della medesima arcidiocesi.
18 » » Monsig. Dianzani Antonio, della diocesi di Grosseto.
» » » Monsig. Bianchini Giuseppe, della medesima diocesi.
27 » » Monsig. Altavista Nicola, dell'arcidiocesi di Rossano.
19 dicembre » Monsig. Scalìa Giuseppe, dell'arcidiocesi di Catania.
» » » Monsig. Kennedy Patrizio F., della diocesi di Salt Lake.

19 dicembre 1950. Monsig. Kubelbeck Guglielmo J., della diocesi di Superior.
30 » » Monsig. Cappai Paolo, della diocesi di Alghero.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

21 dicembre 1950. A S. E. il sig. de Castello Branco Clark Federico, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario del Brasile presso la Santa Sede.
» » » A S. E. il sig. Larrea Carlo Manuel, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario dell'Equatore presso la Santa Sede.
» » » A S. E. il sig. Paternotte de la Vaillée Alessandro, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario del Belgio presso la Santa Sede.

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

1 giugno 1949. Al sig. de Harenne Carlo Alberto (Belgio).
30 » 1950. Al sig. Magistrati conte Massimo (Italia).
» » » Al sig. Hide Bonner Paolo (New York).
» » » Al sig. Romani Pietro (Italia).

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

21 dicembre 1950. A S. E. il sig. Alvarez Vidaurre Antonio, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario del Salvador presso la Santa Sede.
» » » A S. E. il sig. Gentil François, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Monaco presso la Santa Sede.

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

7 settembre 1950. Al sig. Trasloheros Giulio, dell'arcidiocesi di Mexico.
» » » Al sig. Moyersoen Romano, della diocesi di Gand.
30 ottobre » Al sig. Garcia Blanco Andrea, della diocesi di Salamanca.
19 dicembre » Al sig. Houben dott. Francesco, della diocesi di Ruremonda.

La Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

30 giugno 1950. Al sig. Carignani on. Giovanni (Italia).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa:

30 giugno 1950. Al sig. Ferrari Agradi prof. Mario (Italia).

An. et vol. XXXXIII 10 Maii 1951 (Ser. II, v. XVIII) – N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILES DEI FAMULI IOSEPHUS MARIA DIAZ SANJURIO, EPISCOPUS PLATAEEN. ET VICARIUS APOST. TUNQUINI CENTR., MELCHIOR GARCIA SAMPEDRO, EPISCOPUS TRICOMIEN., EIUSDEM IN VICARIATU SUCCESSOR, EX ORDINE FRATRUM PRAEDICATORUM, ET XXIII SOCII TUNQUINENSES, MARTYRES, BEATI RENUNTIANTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Albae iam ad messem » (Io., IV, 35) remotae illae Asiae Orientalis regiones, « Tunquinenses » nuncupatae, inde a saeculo XVIII, iure habebantur, quippe cum, Evangelico per Fratres Ordinis Sancti Dominici centum annis ante recepto praeconio, primitias Martyrum, tamquam uberes purpuratosque fructus, Christo ediderint. Decursu postea temporis novos Martyrum surculos, e Dominiciana arbore, cum inter Hispanos tum inter indigenas eaedem protulerunt regiones; adeo ut haec Christi Iesu verba: «alius est qui seminat, et alius est qui metit: Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis » (ibid., 37-38) ad illas quoque plagas transferri possent. Etenim per saeculum XIX, annis MDCCCXXX ac dein MDCCCXLVIII et praesertim ab anno MDCCCLVI ad MDCCCLXII, brevibus dumtaxat interiectis quietis ac pacis temporibus, quibus missionalia Opera prospera utebantur fortuna, novae Christianorum insectationes concitatae sunt, quae novos pietatis flores ac martyrii fructus splendide ediderunt. Nam quo magis in Christifideles saeviit Tunquinensium Regum crudelitas, eo magis illorum effulsit immota fides ac generosiores apparuerunt animi. Quorum numerus etsi ingens computatur, aliquot tan-

tum Caelitum honores a Romanis Pontificibus usque adhuc receperunt. Nunc autem iuvat Nos, pro Nostro Apostolico munere, novos referre in Beatorum album Martyres, qui Sancti Dominici Gusmani praeceptis conformati atque in Tunquinensi Dicione decessores suos vestigiis consecuti, ab anno MDCCCLVI ad MDCCCLXII pro Christi nomine effuderunt sanguinem. In his quoque fidelium insectationibus nec defuerunt tyranni, in quibus praecipue Tu-Duc, Tunquinensium Rex idemque crudelissimus, nec fraudes et insidiae. Quo enim diligentius conficerentur Regis mandata ac maius pleniusque Christianorum esset excidium, duo potissimum animi motus excitati fuerunt, primitiva nempe erga praeteritorum spiritus pietas necnon patriae amor, ac si Christiani avitam religionem civiumque libertatem impugnarent. Proinde dubium apud Sacram Rituum Congregationem impense agitatum est: utrum veluti Regis inimici, an potius in odium fidei, Ecclesiae Catholicae alumni interempti fuerint. Magis magisque de vero agi martyrio visum est: nam, sive ex Tunquinensium Optimatum parte, sive ex fidelium, semper et praecipue quaestio fuit de religione christiana, adeo ut cum Europaei tum indigenae potius pro Christo mori quam foedari constanter maluerint. In illis Dominicianis Missionibus mille tercenti quindecim tunc necati sunt: mille amplius coronati Martyres caelicolae facti. De quibus Fratrum Praedicatorum Ordo apud Vicariatus Apostolicos prius, apud Apostolicam hanc Sedem postea, ut Causa de eorum martyrio declarando introduceretur, feliciter adlaboravit. Tandem Decessor Noster, rec. mem. Benedictus Pp. XV, die XIV mensis Novembris, anno MCMXVII, Commissionem introductionis Causae manu propria signavit ac deinde Apostolicus Processus rite est institutus. Sed, pro expeditiore Causae cursu, viginti quinque tantum ex his selecti sunt, quorum duo Hispani iidemque Episcopi, ceteri indigenae. Placet quidem Nobis uno eodemque triumpho et illos et istos, strenuos heroës, decorare. Horum autem de vita et gloriosa morte summatim potiora iuvat attingere. Qui viginti quinque nominatim sunt: I. Iosephus Maria Diaz Sanjurjo, O. P., natione Hispanus, Episcopus titulo Plataeensis, Vicarius Apostolicus Tunquini Medii. Anno MDCCCXVIII, ex piis parentibus prope Lucum Augusti ortus est. Studiorum curriculum in dioecesano Seminario « Conciliari » et in Campostellana Studiorum Universitate feliciter emensus laureamque consecutus, inclyto Fratrum Praedicatorum Ordini nomen dedit, quo facilius Missionariorum vitam amplecteretur, atque, noviciorum tirocinio maxima cum laude peracto, sollemnibus votis, anno MDCCCXLIII, Deo se devinxit, et insequenti anno ad Philippinas Insulas, haud parvis superatis periculis, laetus appulit.

Cum autem Pius Pp. IX, fel. rec., Decessor Noster, novum Tunquini Medii Vicariatum Apostolicum, ex orientali plaga partem seiungens, efformasset, Iosephus Maria Sanjurjo Coadiutor Vicarii ipsius Tunquini Medii et Episcopus titularis Plataeensis renuntiatus est et, anno MDCCCXLIX, inchoata iam per Tu-Duc Regem insectatione, consecratus. Provectus est quidem ad honorem martyrii. Mox enim, exquisitus ad necem et a paganis crudeliter comprehensus, capitis est damnatus. Die autem XX mensis Iulii, anno MDCCCLVII, suppliciis fortiter toleratis, quo magis pro Christo Domino eiusque Regno in illas regiones inferendo pateretur, a suis carnificibus flagitavit, ut caput triplici obtruncaretur ictu. Proprio purpuratus sanguine, ad palmam gaudens evolavit. — II. Melchior Garcia Sampedro, O. P., in paroecia Sancti Stephani apud « Cienfuegos », in civili provincia Ovetensi pagum, e Ioanne et Francisca Suarez piis parentibus die XXIX mensis Aprilis, anno MDCCCXXI, natus est. Christianam sortitus institutionem, studia sedulo exercuit, quamvis inopia laboraret, hisque etiam in Studiorum Universitate operam navavit; quibus perfectis, Sancti Dominici Ordinem in Collegio pro Missionibus civitatis « Ocaña », parentibus frustra repugnantibus, ingressus est, ubi, anno MDCCCXLVI, sollemnia emisit vota. Attamen non prius quam anno MDCCCXLIX, quo ex Philippinis Insulis ad Tunquini oras tandem pervenerat, suae ad missionalia Opera et ad martyrium animi inclinationi satisfacere potuit. Tantam in fidei agone sollertiam tantamque ostendit firmitatem, ut, ipsa vaferrimi Tu-Duc Regis progrediente insectatione, ad episcopalem dignitatem, titulo Tricomiensi, evectus fuerit et Auxiliaris renuntiatus Ven. Servi Dei Iosephi Mariae Sanjurjo, Episcopi titulo Plataearum et Vicarii Apostolici Tunquini Centralis, cuius, pro Domino interfecti, successor evasit. Die autem I mensis Septembris, anno MDCCCLV, sollemni pompa magnoque fidelium concursu episcopalem adeptus consecrationem, maioris pietatis impensiorisque in animarum salutem voluntatis incitamentum accepit, donec, anno MDCCCLVIII, in arctissimam deductus custodiam atque ad necem inquisitus, die XXVIII mensis Iulii, est necatus. — III. Dominicus Ninh, qui, optimus vir catholicus, Crucem calcare recusans, martyrium laetus subiit die II mensis Iunii, anno MDCCCLXII. — IV. Laurentius Ngôn, qui, uxorem et liberos ad tuendam veram fidem hortatus, praeclarum martyrii exemplum, die XXII mensis Maii, eodem anno, ipsis reliquit. — V. VI. VII. Dominicus An-Khám e Tertio Ordine Sancti Dominici, Lucas Cai-Thin, eiusdem filius, et Iosephus Cai-Tà, omnes e provincia « Nam-Dinh », divites et in populo Optimates, multa pro Christo tormenta perpessi, cum noluissent Redemptionis

signum calcare, die XIII mensis Ianuarii, anno MDCCCLIX, martyrii palmam adepti sunt. — VIII. IX. X. XI. XII. Dominicus Mao, Vincentius Tuòng, Dominicus Nguyên, Andreas Tuòng, Dominicus Nhi, omnes divites et patresfamilias, die XVI mensis Iunii, anno MDCCCLXII pro vera fide saevam obierunt mortem. — XIII. Petrus Da, sexagesimum annum agens, in exsilium missus est et, multis tormentis superatis, constans in christiana religione permansit, pro qua, in ardentem rogum iniectus, die XVII mensis Iunii, anno MDCCCLXII, vitam profudit. — XIV. Iosephus Tuan, paterfamilias et agricola, Crucem pedibus calcare iussus, eam, genibus flexis, adoravit, exclamans: « Tu es fortitudo mea! » Martyrium subiit die VII mensis Ianuarii, anno MDCCCLXII. — XV. XVI. Petrus Dûng et Petrus Thuân, uterque paterfamilias et piscator, pro Christo Domino die VI mensis Iunii, anno MDCCCLXII igne cremati sunt. —XVII. Vincentius Duong, agricola, diutinum et crudele perpessus exsilium, ad rogum die VI mensis Iunii, eodem anno, damnatus est. — XVIII. XIX. Dominicus Toái et Dominicus Huyên, piscatores et patresfamilias, quorum alter, in carcerem detrusus, ita fideles est allocutus: « adeste animis, fratres, pro Christo haec patimur! ». Ob eorum in fidei professione constantiam, die V mensis Iunii, eodem anno, rogo interempti sunt. — XX. Dominicus Mâu, Sacerdos ex Ordine Fratrum Praedicatorum: piissimus, furente insectatione, Rosarii coronam ante pectus publice ferebat et Christianos ad professionem verae religionis constanter hortabatur. Ductus ad supplicium, manibus iunctis, ac si sacris operaretur, martyrium subiit: die V mensis Novembris, anno MDCCCLVIII, securi subiectus est. — XXI. Iosephus Tuân, item Sacerdos ex Ordine Fratrum Praedicatorum quinquagesimum agens annum, proditus a falso fratre et in carcerem compulsus, in quo animis sedulam curam adhibere non desiit, eodem mortis genere occubuit mense Aprili, anno MDCCCLXI. — XXII. Iosephus Tuc, aetate florens, die I mensis Iunii, anno MDCCCLXII, capite amputato, gloriosam rettulit palmam. — XXIII. Dominicus Câm, Sacerdos, Tertii Ordinis Sancti Dominici sodalis, nolens a Christo magistro suo desciscere, die XI mensis Martii, anno MDCCCLIX, sanguine effuso sacra dogmata firmavit. — XXIV. Thomas Khuông, Sacerdos, Tertii Ordinis Sancti Dominici sodalis, christianum se esse invicto animo professus, in custodiam traditus est et die XXX mensis Ianuarii, anno MDCCCLX, ante Crucem genibus nisus, in pia supplicatione securi interfectus. — XXV. Paulus Doung, vir e prioribus, religionem colebat diligenter. Nolens Crucem Christi contemnere, flagris caesus est et, inedia diuturna tolerata, die III mensis Iunii, anno MDCCCLXII, ad Regem Martyrum laetus evolavit. De horum

martyrio martyriique causa nec non de signis seu miraculis penes Sacrorum Rituum Congregationem proposita est quaestio. Post duas autem Congregationes, Antepraeparatoriam nempe et Praeparatoriam, alia Generalis Congregatio coram Nobis die XXX mensis Ianuarii, anno MCMLI, habita est; cumque profecto constiterit XXV Famulorum Dei internecionem in odium Catholicae Fidei apprime evenisse, Nos, sollemni Decreto die XI mensis Februarii eiusdem anni de eorumdem martyrio martyriique causa ita evidenter constare declaravimus, ut, concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna et necessaria dispensatione, ad ulteriora procedi posset. Illud discutiendum supererat, an, stante approbatione martyrii martyriique causae nec non dispensatione a signis seu miraculis, tuto procedi posset ad sollemnem ipsorum XXV Dei Servorum Beatificationem. Hoc dubium propositum est a Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, causae Ponente seu Relatore, in Generali Congregatione coram Nobis habita die XX mensis Februarii, anno MCMLI: omnesque qui aderant, tum Cardinales tum Officiales Praelati Patresque Consultores unanimi consensu affirmative responderunt. Nos tamen in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, ut a Patre luminum caeleste auxilium impetraremus. Quod cum impensis precibus fecissemus, tandem die quarta mensis Martii, eodem vertente anno, die Dominica « Laetare », Eucharistico Sacro rite litato, accitis adstantibusque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, atque memorato Patre Cardinali Causae Relatore, necnon Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulari Archiepiscopo, ipsius Congregationis Viro a secretis, et dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ediximus ad sollemnem XXV Venerabilium Servorum Dei, quos supra memoravimus, Beatificationem *Tuto* procedi posse. Quae cum ita sint, Nos, precibus universae Fratrum Praedicatorum religiosae Familiae, Antistitum, Cleri, et Christifidelium Tunquinensis regionis permoti, Apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi, perpetuumque in modum, facultatem facimus ut in posterum Venerabiles Servi Dei Iosephus Maria Diaz Sanjurjo, O. P., Episcopus titularis Plataeensis et Tunquini Medii Vicarius Apostolicus, Melchior Garcia Sampedro, O. P., Episcopus titularis Tricomiensis et eiusdem in Vicariatu successor, necnon tres et viginti eorum Socii, quos laudavimus, *Beati* nuncupentur, eorumque reliquiae, si exstent, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque eorundem Ser-

vorum Dei Imagines radiis decorentur. Praeterea, eadem auctoritate Nostra, concedimus, ut de illis recitetur Officium quotannis de Communi plurimorum Martyrum et Missa de eodem Communi celebretur iuxta rubricas Missalis et Breviarii cum Romani tum Ordinis Fratrum Praedicatorum, cum Orationibus propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri concedimus tum intra fines Vicariatuum Apostolicorum nunc de Buichu, de Bacninh, de Hanoi, de Haiphong, tum in illis Hispaniae dioecesibus, unde uterque Sacrorum Antistes, martyrio coronatus, ortum habuit, tum denique in omnibus Templis et Sacellis, coenobiis Ordinis Fratrum Praedicatorum, etiam Monialium, ac Tertii Ordinis Sancti Dominici ubique terrarum adnexis, ab omnibus Christifidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus Presbyteris tam e saeculari quam e religioso Clero, ad Templa seu Sacella, in quibus Beatorum eorundem festum celebretur, convenientibus. Denique largimur, ut sollemnia Beatificationis eorundem Famulorum Dei, servatis servandis, in praedictis Vicariatibus Apostolicis, dioecesibus ac Templis sive Oratoriis, quae nominavimus, die per Ordinarios respective designando, celebrentur, intra annum postquam eadem sollemnia in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana rite peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis necnon Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint, atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in disceptationibus etiam iudicialibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Aprilis, Dominica V post Pascha, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EXCM̃UM P. D. RAPHAËLEM DE GIULI, EPISCOPUM ALBINGANENSEM: ALTERO EXEUNTE SAECULO AB OBITU S. LEONARDI A PORTU MAURITIO.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Altero expleto saeculo, ex quo S. Leonardus a Portu Mauritio post mortalis huius vitae cursum ad Superos evolavit, suos addecet cives, addecet Franciscalis Ordinis sodales, quorum in sacro agmine militavit, Ecclesiam addecet universam, cuius est decus et ornamentum, tantum divini verbi praeconem commemorare eiusque peculiari studio celebrare laudes. At addecet imprimis intento omnes animo recogitare qua ipse ratione potuerit tam excelsum attingere sanctitudinis fastigium, atque innumeras hominum multitudines, vel e recto devias itinere, vel vitiorum caeno sordescentes ad Christum reducere, ad eiusque obtemperandum legibus, sequenda exempla.

Inde a iuvenili aetate, caducis saeculis despectis gaudiis fluxisque vanitatibus, Deo se totum dedidit; ac vixdum potuit Franciscalem Ordinem ingredi, ad evangelicae vitae perfectionem concitatiore cotidie gradu ita contendit, ut Seraphici Patriarchae imaginem in se referre mirantibus omnibus videretur.

Ad Augusti Sacramenti aram longissimas suavissimasque precando traducere horas, almam Dei Genetricem impense venerari eiusque sibi praesentissimum conciliare praesidium, cruci fixi Redemptoris simulacrum sibi habere carissimum, ac Iesum Christum per Calvariae iter acerrimos patientem dolores, vel e mortis pendentem patibulo diu amanterque meditari, haec omnia peragere sollemne habuit; ac supernam exinde vim hausit, qua quidem roboratus caelestem quamdam vivendi formam adeptus est, ac tam praeclaris virtutibus suum exornavit animum, ut divina gratia suffultus divinaque ope armatus ad sanctissima certanda certamina miles evaderet fortissimus, apostolus fieret indefatigabilis.

Itaque impiger ac strenuus divini verbi praeco omnes paene Italiae regiones et urbes, sacris habitis expeditionibus, perlustravit; neque montana oppida, etsi asperrima, adire recusavit, neque ad ignotos viculos se conferre praetermisit ut omnes, quotquot posset, Iesu Christo lucri-

faceret. Ubicumque autem per Sacras Missiones, quae dicuntur, concionem ad populum habebat, inibi christiani reflorebant mores, pietas in Deum, in proximos caritas exardescebant, acerrima ac diuturna restinguebantur odia, mutuae componebantur simultates, pax ac tranquillas in domestico convictu conciliabantur, ac Sacramenta, quae supernae vitae sunt fontes, non sine salutaribus fructibus fere ab omnibus frequentabantur.

Grande sane spectaculum erat summaque admiratione dignum humilem hunc cernere Franciscalis Ordinis sodalem, apostolicis itineribus, ieiuniis, ciliciis, voluntariisque cruciatibus libenter susceptis paene consumptum, innumeram, qua stipatus erat, multitudinem tam vehementer excitare ac permovere ad deflenda commissa cuiusque sua, ad caelestia adipiscenda bona, ad mutuam inter se inflammandam caritatem, ut ex multorum oculis lacrimae prorumperent, ex omnium vero animis melioris sanctiorisque vitae proposita elicerentur.

Norunt omnes quantum ad hoc efficiendum contulerit pius ille mos, a S. Leonardo quam latissime propagatus, supremos Iesu Christi cruciatus amantissime recolendi, eiusque ad Calvariam iter elata cruce effusisque precibus per stationes turmatim celebrandi.

Itaque eo auctore hortatoreque mirabilis illa multis locis habita est christianae vitae renovatio, quae nostris etiam temporibus tam necessaria est; et quae, ut per Iubilarem Annum Romae celebratum feliciter evenit, ita per Annum Sacrum ubique gentium celebrandum bonorum omnium in votis esse debet. Id peculiari modo fiat hortati sumus per sacras illas conciones ad populum habendas, quae Sacrae Missiones vocantur, et quarum a Decessore Nostro fel. rec. Pio XI S. Leonardus a Portu Mauritio caelestis Patronus designatus fuit;[1] «quandoquidem experiundo est cognitum hoc divini verbi praedicationis genus multum multumque valere non modo ad errores refellendos et ad christianam doctrinam recte explanandam sed ad id etiam assequendum, divina aspirante gratia, ut audientium animi ex terrenis rebus ad caelestia revocati tam salubriter commoveantur, ut suas labes eluant atque expient, et ad arduum ingrediendum virtutis iter sincera ac generosa voluntate exstimulentur».[2] Nullo igitur aptiore modo putamus saeculare eiusmodi eventum celebratum iri; atque adeo si clerus tibi creditus, Venerabilis Frater, incenso apostolatus studio, si populus tuis curis demandatus intento animo actuosaque voluntate sacris huius generis concionibus vocaverint, salutares fructus colligent uberrimos.

[1] Cf. Litt. Apost. *Romani Pontifices*. A. A. S. 1923, vol. XV, p. 196.

[2] Const. Apost. *Per Annum Sacrum*. A. A. S. 1950, vol. XXXII, p. 854.

Id Nos paterno ominantes animo, ut effectum feliciter detur a Deo precamur; dum tibi tuisque omnibus atque iis peculiari modo, qui celeberrimum hunc divini verbi praeconem civem fuisse suum gloriantur, itemque Franciscalis Ordinis sodalibus universis, supernorum munerum auspicem amantisque Nostrae voluntatis testem Apostolicam Benedictionem perlibenter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis Februarii, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

II

AD REVM̃UM P. BENEDICTUM PESCI, MINISTRUM PROVINCIAE ROMANAE ORDINIS FRATRUM MINORUM: ALTERO EXEUNTE SAECULO AB OBITU S. LEONARDI A PORTU MAURITIO.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Auspicato sane contingit, ut, rite expiatis in hac Alma Urbe plurimorum animis Iubilaeo maximo, cuius quidem universo orbe fruendi facultatem prorogavimus, hoc vertente anno celebretur sollemnis de Sancto Leonardo a Portu Mauritio commemoratio, altero scilicet labente saeculo, quum ipse terrestre exsilium caelesti patria feliciter commutavit. Etenim praeclarus ille evangelii praeco, ad Ligustica quidem ora in lucem editus, Romanus tamen factus electione, non unius dumtaxat regionis finibus emendatricem actionem suam circumscripsit, sed Italiam late peragravit, ut in excultis urbibus pagisque rusticis fidei morumque integritatem ad evangelicae caritatis iustitiaeque rationes restitueret. Huius autem operae uberrimi fructus non minus verbi efficacia, quam vitae sanctimonia ardentique eius caritate exorti sunt. Quare insignis vir, Ordinis sui decus atque ornamentum, potens in opere et sermone, a Pio XI, Nostro ven. mem. Decessore, caelestis Patronus omnium est constitutus sacerdotum, qui ad sacras populares Missiones in regionibus catholicis ubique terrarum incumbunt. Peropportune igitur per saecularis huius anni decursum sollemnes peragentur ritus et sacrae ad populum contiones, ut acta et virtutes atque apostolicus spiritus celeberrimi praeconis revocentur atque exempla ad imitandum quam plurimis fidelibus proponantur. Quemadmodum enim

Sancti Leonardi tempestate, ita in praesenti non parum deferbuit divina caritas; nec levis est officiorum christianorum neglectio aut relaxatio. Inter tantam saeculi mollitiem et fastidium laborum, multi sane homines in aucupandis vitae commodis, in consectandis avide voluptatibus aetatem consumunt. Florentibus vero evangelicis virtutibus, facile floreret et fides et pietas et omnis christiana laus; sedaretur nimia caducarum rerum appetitio, nec pertaederet, quod gravissimum plerisque ducitur onus, domitas habere virtute cupiditates. Nos itaque, dilecte fili, qui animarum salutem profectumque tanti facimus et commendamus, saecularia ista sollemnia in honorem Sancti Leonardi a Portu Mauritio, quae heic Romae proxime initia habebunt, merita laude afficimus Nostraque auctoritate confirmamus. Clarissima profecto Sancti Leonardi exempla confidimus non parum esse conlatura ad exacuendam in primis Fratrum Minorum apostolicam virtutem, ut iidem, flagranti pietate morumque sanctitudine praelucentes, effusa ad Deum prece rerumque caelestium contemplatione instructi ac parati, divini verbi praedicationi renovato quodam ardore sedulam operam impendant et copiosos salutis fructus in christiano populo exinde percipiant. Quorum interea conciliatrix impensaeque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, dilecte fili, tuisque religiosis sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XII mensis Martii, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Causae quae in Tribunali Sacrae Romanae Rotae actae sunt anno 1950, quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.

I. Romana – Nullitatis matrimonii *ob conditionem appositam.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: F. Romita.

Advocatus: B. Pellegrini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 5 Ianuarii: « Negative ».

II. Babylonen.-Latinorum – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus et* Dispensationis super rato.

Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, D. Staffa.

Vinculi Defensor deputatus: I. Parisella.

Advocatus: B. Pellegrini.

Dubia: I. « An constet de nullitate matrimonii, in casu »; et quatenus negative: II. « An praestandum sit Sanctissimo consilium pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu ».

Sententia diei 10 Ianuarii: Ad I. « Negative ». Ad II. « Affirmative, prohibito tamen actori transitu ad novas nuptias, inconsulta Sancta Sede ».

III. Romana – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Pasquazi, *Ponens,* P. Felici, B. Filipiak.

Vinculi Defensor: I. M. Pinna.

Advocatus: C. Bernardini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 10 Ianuarii: « Negative ».

IV. Taurinen. – Nullitatis matrimonii *ob exclusum bonum fidei.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, D. Staffa, *Ponens,* I. Pasquazi.

Vinculi Defensor deputatus: F. Romita.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Costa Albesi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 13 Ianuarii: « Negative ».

V. Parisien. – Nullitatis matrimonii *ob simulationem consensus et ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: I. Teodori, *Ponens,* H. Caiazzo, A. Fidecicchi.

Vinculi Defensor deputatus: R. Bidagor.

Advocati: P. A. D'Avack, I. Ojetti.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 14 Ianuarii: « Affirmative ».

VI. N. N. – Nullitatis Matrimonii *ob viri impotentiam.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Canestri, I. Teodori.

Vinculi Defensor deputatus: A. De Iorio.

Advocatus: C. Bernardini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 14 Ianuarii: « Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Sede ».

VII. Burdigalen. – Nullitatis Matrimonii *ob invaliditatem dispensationis.*

Turnus Rotalis: B. Filipiak, *Ponens,* G. Doheny, P. Mattioli.

Vinculi Defensor deputatus: I. Moretti.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 3 Martii 1942 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 14 Ianuarii: « Infirmandam esse, ideoque non constare de nullitate matrimonii, in casu ».

VIII. Asculana – Nullitatis Matrimonii *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Brennan, *Ponens,* D. Staffa, G. Doheny.

Vinculi Defensor: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. Spinelli.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 18 Ianuarii: « Affirmative ».

IX. Taurinen. – Nullitatis Matrimonii *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, H. Caiazzo.

Vinculi Defensor deputatus: I. Sirna.

Advocatus: C. Bernardini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 21 Ianuarii: « Negative ».

X. Taurinen. – Nullitatis Matrimonii *ob vim et metum et ob exclusum bonum sacramenti.*

Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, D. Staffa.

Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.

Advocati: E. Ruffini, *pro actrice;* A. Bertola, *pro convento.*

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 24 Ianuarii: « Negative ».

